26.b.

EXAMEN
COELIBATUS CLERICORUM,

Auxiliante DEO Trin-uno,

Ex Decreto Venerandæ & Ampliſſimæ Facultatis Theologicæ in Academiâ EBERHARDINA,

PRO LICENTIA

SUPREMUM IN THEOLOGIA GRADUM conſequendi,

SUB PRÆSIDIO

DN. JOHANNIS ADAMI OSIANDRI
SS. Theol. D. ejusdemque Prof.
Publ. h. t. Decani,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

adornatum &
Publico Eruditorum examini
expoſitum

à

M. GEORGIO Schönberg/ Halis-Saxone.

IN AULA NOVA,
Ad Diem XXII. & XXIII. Aprilis,
horis ſolitis.

TUBINGÆ,
Literis JOHAN-HENRICI REISII,
ANNO M DC LXIV.

I. N. J. A.

EXAMEN COELIBATUS CLERICORUM.

PRÆFATIO.

Diabolus, qui eſt efficax in impiis, ut improvidos in exitium pertrahat, fraudibus inſidiisque ſuis utitur, & uti plurifariam hominibus molitur perniciem ita in Papatu, inter alias, legem cœlibatus ſacerdotum excogitavit: virtute cujus, ex conſtitutione humana, presbyteris conjugiū prohibetur, contractumq; diſtrahitur: non conſiderato, quod adverſetur Juri divino, pugnetque cum Evangelio, cum veterum Synodorū conſtitutionibus, imò cum exemplis etiam Eccleſiæ Romanæ, qualis erat circa quingentos annos, ut agnoſcit quem Poſſevinus, in ſuo apparatu, perperam Georgium Vallium vocat, Georgius Wicelius, ipſe Pontificius, Auguſtanæ Confeſſionis librum, ut appellat, in hac materia approbans, ſimulque referens: Hildebrandum exempla hæc, ſpiritu parum ſancto notabiliter actum, ex Eccleſia Romana ſuſtuliſſe, in libro cui titulus: *Via regia ſive compendium de ſemitis antiquis Eccleſiæ reformandæ, aut reſtituendæ potius, & concordiæ tandem ſarciendæ*, qui mandato Ferdinandi primi, & Maximiliani ſecundi, Imperatorum Romanorum ſcriptus fuit. Ita ſcilic. Satanas hujus laquei periculoſi, quo miſeræ conſcientiæ conſtringuntur, captivæ tenentur & ſtrangulantur, autor eſt, eoque ſub

pœna æternæ damnationis, infelices cœculos ligat. Finiunt ejuscemodi illaqueationes in innumeris vitiis, ordinationis divinæ contemtu & profanatione, flagitioſis libidinibus, impuro concubitu, adulteriis, inceſtibus, imo & ſodomiis & beſtialitatibus, quorum conſequentia nulla alia eſſe poteſt, niſi damnatio æterna. Non attinet referre exempla obſcœna & horrenda, quibus paſſim collegia & monaſteria ſcatent. Monſtra libidinum detecta ſunt, quod teſtantur hiſtoriæ & querelæ, quæ per omnia ferè ſecula, in quibus maledicta lex hæc floruit, diductæ allegari poſſent. Ex quo etiam, poſtquam concubinatus & vagæ libidines apud Clerum ita invaluerunt, ut crimen propemodum eſſe deſierint, pro ludo jocoque haberi cœptum eſt, quod evidenter probat libellus Heidelbergæ editus, in confinio ſeculorum decimi quinti & decimi ſexti, cui titulus eſt: *De fide concubinarum in ſacerdotes*, ubi miræ quæſtiones & hiſtoriæ, in celeberrima Univerſitate publicè tunc ad diſputandum, joci ſuſcitandi cauſa, propoſitæ, agitantur. Teſtes hujus impuritatis habemus omni exceptione majores Proceres imperii, qui inter gravamina, quibus in comitiis, Norimbergæ, anno ſuperioris ſeculi vigeſimo ſecundo, celebratis, Germaniam levari flagitabant, de hac ipſa quoque propoſuerunt & conqueſti ſunt, ut *in gravam. 75. & 91.* legi poteſt. Imò eò uſque impudentia progreſſa eſt, ut non ſolum Colonienſis quidam ſcriptor, turpiſſimam Cardinalis Campegii & Pighii vocem rhetoricè amplificans, *Melius eſſe*, inquiat, *ſi votarius continere non valens centum habeat concubinas, ex ordine tamen & ſucceſſivè, quam ſi unam legitimam uxorem ducat Sleid. l. 4.* Et Colterus

in

in enchiridio, quod probarunt & laudarunt Theologi Moguntinenſes, Colonienſes, Trevirenſes & Lovanienſes, *gravius peccare*, ſcribat, *contrahentem nuptias ſacerdotem quam ſcortantem*, ſed etiam (ut taceamus regulæ adulterino-cacolicæ : *Minus peccare ſacerdotem adulterando, quam conjugem ducendo.*) Reverendus Pater (ſi diis placet) Antonius de Eſcobar & Mendoza, in ſumma Theologiæ moralis anno 1659. Lugduni impreſſa p. m. 151. impudentiſſimè aſſerere non erubeſcat : *Colligo clericum exercentem ſodomiam* (ô propudium!) *ſi ſit contritus, etiam retento beneficio & dignitate, omnino eſſe abſolvendum.*

Varie ſeſe quidem cruciat & defatigat Pontificiorum caterva, ut legem ſuam defendant, verum conatus eorum non niſi lubricis nituntur fundamentis. Noſtrum hâc vice non eſt hiſtoriam conſtituti & firmati cœlibatus, quæ tamen in Chemnitii examine Concilii Tridentini prolixius legi poterit enucleare; ſed argumentis quibusdam veritatem ſtabilire, & ea, quæ obſtare videntur, paucis quidem, ſolidiſſimè tamen, ΣΥΝ ΘΕΩ, removere.

CAPUT I.

§. I. UT ferè nullum eſt caput doctrinæ Pontificiæ, in quo non varient Authorum ſententiæ, aliis hanc, aliis illam propugnantibus; ita quoque in præſenti puncto evidens occurrit Andabadarum diſcrimen.

§. 2. Quidam enim ſtatuunt, legem cœlibatus eſſe juris divini, quæ ſententia eſt Johannis Majoris in 4. diſt. 24. q. 2. Michaelis Medinæ l. 5. de ſacrorum hominum continentia, cap. 99. nec non Franciſci Torrenſis, cujus hæc ſunt verba : *Eſt hæc divina & Apoſtolica traditio non quidem ἄγραφ⊚, ut plerique falſo putant, quanquam ne ſic quidem minoris eſſet authoritatis ; ſed quo certior clariorque res*

 eſſet

eſſet ἔγγραφ☉, ſcripta ſcil. in Evangeliſtis & Epiſtolis Pauli.

§. 3. Quidam in planè oppoſitam diſcedunt ſententiam dicentes legem cœlibatus eſſe tantum juris Eccleſiaſtici, quod multis & rationibus & autoritatibus firmare ſtudent, Durandus, Sotus, Gregorius de Valentia, Cajetanus, Claudius Eſpenſæus, Bellarminus de Clericis, *l. 1. c. 18.* qui omnes ſecuti ſunt Thomam ita differentem, *2.2. q. 88. art. 11.* *Eſt ergo conſiderandum utrum continentia ſit eſſentialiter annexa ei, ad quod votum ſolennizatur: quia ſi non eſt ei eſſentialiter annexa, poteſt manere ſolennitas conſecrationis ſine debito continentiæ: quod non poteſt contingere, ſi ſit eſſentialiter annexum ei ad quod votum ſolennizatur. Non eſt autem eſſentialiter annexum debitum continentiæ ordini ſacro: ſed ex ſtatuto Eccleſiæ. Unde videtur, quod per Eccleſiam poſſit diſpenſari in voto continentiæ ſolennizato per ſuſceptionem ſacri ordinis. Eſt autem debitum continentiæ eſſentiale ſtatui religionis, per quem homo abrenuntiat ſeculo, totaliter DEI ſervitio mancipatus. Quod non poteſt ſimul ſtare cum matrimonio, in quo incumbit neceſſitas procurandæ uxoris, & prolis & familiæ, & rerum, quæ ad hoc requiruntur. Unde Apoſtolus dicit 1. ad Cor. 7. quod, qui eſt cum uxore, ſolicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori, & diviſus eſt. Unde nomen monachi ab unitate ſumitur per oppoſitum ad diviſionem prædictam. Et ideo in voto ſolennizato, per profeſſionem religionis, non poteſt per Eccleſiam diſpenſari: & rationem aſſignat decretalis, quia caſtitas eſt annexa regulæ monachali.*

§. 4. Quidam denique mediam amplectuntur, atque aſſerunt legem cœlibatus eſſe juris divini partim, partim juris Eccleſiaſtici: in quam ſententiam laudatur à Becano Clichtovæus, licet alii illum in primæ claſſis numerum referant. Alii addunt Almainum diſtinguentem Diaconos & Subdiaconos à ſacerdotibus illosq; ſubjicientem juri Eccleſiaſtico, hos vero juri divino, quanquam non ita liquide, cujus verba placet addere: *Quantum,* ſcribit ad *Diaconatum & Subdiaconatum, eſt ſolum ex ſtatuto Eccleſiæ: quia aliquando in talibus ordinibus contrahebant: & illi ordines non erant ſacri: illi ſacri vocabantur, quibus annexa erat caſtitas. Sed de presbyteratu, utrum dirimat contractum, & contrahendum ex ſolo ſtatuto Eccleſiæ vel Chriſti: dicat Doctor, quod ſecundum non videtur probabile: ratio,*

tio, in primitiva Eccleſia ſacerdotes erant uxorati : & hoc verum eſt : ſed uxorati erant antequam ordinarentur : & licuit uxorato ordinari, & ſuſcipere ſacros ordines : ſed utrum aliquando licuerit presbytero contrahere, eſt difficultas : & videtur quod non, imo apud Græcos in quibus ſacerdotes ſunt uxorati, & quod plus eſt, mortuo ſacerdote, uxor non poteſt amplius cum ſecundo contrahere. Ideò non eſt undiquaque certum, an ſit ex ſtatuto Eccleſiæ, vel Chriſti, quod ſacerdos non poſſit contrahere. Multi Doctores tenent, quod eſt ex ſtatuto Chriſti. Sanctus Thomas & Doctor in materia de voto dicunt, quod eſt ſolum ex ſtatuto Eccleſiæ. Et videtur multum probabile, quod eſt ſolum ex ſtatuto Eccleſiæ, quod presbyter in ſacris non poteſt contrahere.

§. 5. Primam ſententiam moderni argumentis perquam multis oppugnant, quæ videbis apud Bellarm. *loco ſupra allegato* Becanum *concluſ. 1. quæſt. 10. c. 26.* & Gabrielem, Vaſquezium autoritate & rationibus contrapugnantem in 3. *Tom. 3. diſp. CCXLIX. c. 2. & 3.* Ultimam itidem Authores prædicti exſibilant : Media itaq; comunis hodie obtinet in Papatu, quam ita proponunt: lege Eccleſiaſtica ad minimũ cœlibatũ eſſe annexum ordinib' ſacris, & illam obligare *primo*, ut nemo conjugatus ſacris ordinibus initietur, niſi uxor perpetuã voveat caſtitatem. *Secundo*, ut nemo, poſtquam initiatus eſt ſacris ordinibus, uxorem ducat. *Tertio*, & qui ſacris ordinibus initiatus eſt perpetuam foveat continentiam.

CAPUT II.

§. I. DElibatis hiſce, progredimur ad argumenta veritatis, oſtenſuri illud : jus Eccleſiaſticum non obſtare, quo minus illi, qui ſunt ordinis ſacri poſſint vivere legitimè & licitè in conjugio.

§. 2. Primum ducimus ex epiſtola ad Ebræos *cap. 13 v. 4.* verba Apoſtoli in fonte hæc ſunt : Τίμιος ὁ γάμος ἐν πᾶσι καὶ ἡ κοίτη ἀμίαντος, *i. e. Honorabile connubium in omnibus, & cubile immaculatum.* Ex quibus ita concludimus : Quicquid eſt honorabile & abſque macula, illud non prohibendum eſt in Eccleſia. Atqui matrimonium eſt honorabile & abſque macula. Ergo matrimonium non eſt prohibendum in Eccleſia. Majoris nexus eſt evidens, quod enim honorabile eſt & ἀμίαντον, illud utique bonum & purum eſt, & quidem bonum non qualitercunque, ſed illo gradu bonitatis, quæ honeſtatem dicit ; quæ autem ita bona ſunt, quis prohibere audeat,

&

& quidem integro alicui ordini, ſive generi hominum. Minor in terminis legitur loco allegato. Præmiſſarum itaque naturam ſequetur concluſio.

§. 3 Varia deſiderant in hac ſtructura Sophiſtæ, quibus nihil placet, niſi quod mandris illorum ſpurciſſimis quadrat, quapropter reſpondent I. *Retorquendo:* ſi enim, inquiunt, omnia conjugia ſunt honorabilia, etiam conjugia conſanguineorum in primo aut ſecundo gradu erunt honorabilia, & conjugia adoleſcentum injuſſu parentum contracta erunt honorabilia. II. *Majorem negando & reſtringendo*: Non prohibendum ſcil. conjugium, ex eo quod honorabile Laicis, Apoſtolum quippe præcepta dare iis, quibus præſint præpoſiti ſpirituales, Epiſcopi & Presbyteri, quibus duo præprimis ſint cavenda vitia, adulterii & avaritiæ, ad quos etiam pertineat, ut quieti ſint & res ſuas agant, & operentur manibus ſuis. Denique III. *circa Minorem tricando:* Quidam enim hæc verba accipiunt *preceptivè*, ut ſenſus ſit: Conjugium ſit in omnibus vobis honorabile, & thorus immaculatus, quaſi diceret, Præcipio ut omnes, qui in conjugio eſtis, ſervetis honorem conjugii, & thorum ſine macula. Id autem præſtatur, quando nec violatur conjugii fides per adulteria, nec ab ipſis inter ſe conjugibus quicquam admittitur, quo thori jugalis puritas commaculetur. Probant hunc ſenſum, partim *ex ipſa hujus epiſtolæ diſtinctione*, caput quippe hoc decimum tertium eſſe ſecunda illius parte ethicum, in quo more ſolito Apoſtolus non dogmata; ſed morum præcepta congerat & transſcribat. *Alioquin*, inquit Cornelius, *quorſum quæſo hic ex abruptis ſuis de Eleemoſyna præceptis intexeret dogma de honeſtate conjugii? quis enim hoc ignorat? quis judæorum id negavit? ſane ſicubi, apud Judæos in honore erat conjugium.* Partim *ex ipſa textus conſideratione*, quia verba: *& thorus immaculatus in omnibus*, ſatis indicent præceptivè etiam antecedentia in connexione eſſe accipienda. *Dicat*, inquit Turrianus contra Marloratum & Magdeburgenſes, *an ſit in omnibus conjugibus thorus immaculatus? etiam in adulteris maritis? quod ſi non eſt, malè igitur interpretatus eſt Marloratus: non enim ſupplendum verbum, eſt. Dicat rurſus, an ubi thorus eſt pollutus, ut in adulteris, ibi ſit etiam connubium τίμιον*, i. e. *in honore, an potius in probro & dedecore & infamia? Quis hoc ſane mentis neget? Non ergo hoc Paulus dicit,*

quod

quod peſſimus interpres facit, eum dicere, ſcilicet, honorabile eſt conjugium in omnibus: nec eſt præciſa denuntiatio: quin potius præceptum eſt: ſupplendumque verbum, eſto, aut ſic, ut dicat præcipiens: Honorabile ſit conjugium in omnibus: & ſit item thorus immaculatus in omnibus, id eſt, præcipio ut omnes, qui in conjugio ſunt, habeant illud in honore, & non in paſſione deſiderii. Partim *ex commoda collatione: Hunc ſenſum*, ſcribit Cancellarius Duacenſis *judicant Chryſoſtomus & Theophylactus, cum dicunt in his verbis eſſe repetitionem ejus, quod ſupra præceperat, de ſanctimonia ſectanda & vitanda fornicatione. Eſt autem frequens in ſacris literis, ubi verbum modi præceptivi debeat ſubaudiri, ut Roman. 12. Dilectio ſine ſimulatione & ad Tit. 2. verbum ſanum, irreprehenſibile. Item in eo quod hic mox ſequitur: ſine avaritia. Nam nec ibi verbum in Græco expreſſum eſt. Unde & Eraſmus in paraphraſi, tacite retractans ſuam verſionem, ita loquentem Apoſtolum facit: Conjugium ſit apud vos honorabile: neque cubibile ullo ſtupri genere contaminetur.* Quidam autem *enunciativè* exponunt, nec tamen manus herbamve porrigunt; ſed explicant, qua ratione conjugium ſit honorabile ἐν πᾶσι: *triplici enim modo illud poſſe accipi, primo, ut in omnibus ſit idem quod omni ex parte, id eſt, conjugium honorabile eſt in omnibus. quæ conjugii ſunt, ſive ſacramentum, ſive fidem, ſive prolem conſideres. Ita Oecumenius in hunc locum, Secundo, ut in omnibus, ſignificet, apud omnes, id eſt, nemo debet conjugium reprehendere, etiamſi virginitatem ipſe profiteatur; ita videtur accepiſſe Fulgentius lib. de fid. ad Petr. c. 3. Denique, in omnibus, id eſt, in omnibus legitime conjunctis, quicunque illi ſint, ſive ſenes, ſive juvenes, ſive nobiles, ſive obſcuri, ſive Græci, ſive Hebræi, &c. ita Theophylactus in hunc locum.* Ita ſibi ludos faciunt circa divinam veritatem Turrianus, Richeomus, Bellarminus, Vaſquez, Sa, Cornelius à Lapide, Eſtius, Lovanienſes, & alii, quos numerus defendit & junctæ umbone phalanges.

§. 4. Sed infeliciter ſubtiles ſunt, qui ita arguunt. Nihil quippe ad nos illa intentata retorſio, tum quia conſanguineorum mixturæ non ſunt conjugia; ſed monſtra illius, ut nulla ſubſumptio proinde locum habere poſſit, quod vel ex canone 61. Concilii Agathenſis conſtare poterit, qui ita legitur; *Inceſtuoſos nullo unquam conjugii nomine deputandos eſſe exiſtimamus;* Et Gregorio Canonem hunc

ita dilucidante. *lib. 10. epiſtol. 32. Nec eam quam aliquis ex propria conſanguinitate habuit conjugem, vel aliqua illicita pollutione maculavit, in conjugium ducere ulli profectò liceat Chriſtianorum, vel licebit, quia inceſtuoſus eſt talis coitus, & abominabilis DEO & cunctis bonis hominibus, inceſtuoſos vero nullo conjugii nomine deputandos à ſanctis Patribus dudum ſtatutum eſſe legimus.* Tum, quia conjugium ſacerdotis cum ſua conjuge eſt tale conjugium, à quo nec natura, nec jus divinum arcet eundem: at conſanguineorum junctura eſt inceſtus, ut ingens diſparitas evidenter appareat eo ipſo, quo nec naturâ, nec lege, niſi papali vel Eccleſiaſtica, qua ratione tyrannidem Pontificiam colorare ſtudent, ſacerdotes arcentur, nec voto etiam, quod temerarium fuit, ſi ab incontinente emiſſum. Suppoſitis ergo legibus honeſtatis, dicimus conjugium eſſe honorabile, non præciſa omni regula, principio dirigente, neceſſariis requiſitis, quamcunque cujuscunque cum pare conjunctionem. Tum, quia ipſe Cornelius noſtris favet partibus, & iniquam retorſionem tollit, dicendo ad ſequentia: *jam ſenſus eſt, q. d. ne quis adulteretur aut fornicetur, DEUS in remedium concupiſcentiæ inſtituit honorabile conjugium: illud cuivis amplecti licet, ut, ſi eo relicto fornicetur, inexcuſabilis ſit, ideoque à DEO judicandus & damnandus.*

§. 5. Miſſa itaque hâc impertinente inſtantia alterum, quod ad majorem reponunt examinare placet. Dicunt Apoſtolum præcepta dare iis, quibus præſint Præpoſiti ſpirituales. Sit ita: Ergo illud de conjugio & thoro, dicunt, non ſpectat ad Clericos, ſed Laicos. Nimis feſtinanter concluſum, quaſi Clerici & Laici nihil commune habeant, quod informatione apoſtolica etiam ad Laicos directâ poſſit vel regulari vel firmari, quaſi, quod exempli loco objiciunt de cavendo adulterio & avaritiâ, non tale præceptum eſſet, ex quo etiam Clerici diſcere poſſent, quid illos deceret, quod eorum officium, quæ Eccleſiaſticis Perſonis congruant. Sed falſum omnino eſt, quod tam ſecurè credulæ turbæ ingeminant, quibus Biblia liber ſignatus. Num enim ad ſolos Laicos ſpectat conſtantia in charitate fraterna, de qua verſiculo primo? num hoſpitalitas commendata ſaltem cives & auditores decet, non Præpoſitos illorum? num expungendum è catalogo virtutum præſcriptum Epiſcopo *1. Tim. 3. v. 2.*? num non Lothi exemplo illa roborata, præconis inter Sodomitas &

Docto-

Doctoris egregii? Sane ut objectum perſonale, ad quod direxit hanc Epiſtolam fuit vel tale vel tale; ita quoque poſito, in quibuſdam reſpici hic ſolos Laicos, potuit hæc vel illa ad Laicos dirigere, ut tamen interſperſa fuerint communia. Addo ſupponi ab illis, verba de conjugio eſſe ſub præceptis Apoſtolicis comprehenſa, dicere modum cohabitandi, non ipſam ordinationem divinam, eſſe præceptum honeſtatis, non deſcriptionem ſtatus, de quo in ſequentibus. Quid? ſtante illa reſtrictione & ſuperaddita exemplificatione, quid non de Clericis concludemus? Anne illis non vel maxime cavenda vitia adulterii, quibus præ cæteris in temerario cœlibatu viventes ſunt procul dubio obnoxii? Non movebo illorum camerinam, neque querelas ab ipſis ingenuis fuſas prolixè repetam. Anne illis non cavenda vitia avaritiæ, quo morbo vel maximè laborat Epiſcopus Epiſcoporum, quod vel annatæ docent, paſſagium, pallii redemptio & ſimilia, quorum poſtremum ſaltem in ſede Moguntina excrevit ad viginti ſeptem millia florenorum, ut taceam reliquas Epiſcopias quarum Durus di Paſcolo ſaltem in Germania narrat quinquaginta duas. Si itaque ex vitiorum cautela præſcripta & genio, moribusque Clericorum comparatis ad experientiam inſtituendum eſſet judicium, vel maxime poſſet colligi hoc modo: Sicuti Clericis præprimis ſunt cavenda vitia adulterii & avaritiæ, quia hiſce maximè vel obnoxii vel infames; ita præceptum de conjugio, poſito, quod ſit præceptum, vel maximè etiam tangit Clericos, ſpectat ad ſacerdotes & Epiſcopos.

§ 6. Tandem Minoris propoſitionis examen nimis dilutum eſt. Sumunt enim *primo* verba Apoſtoli non indicativè; ſed imperativè eſſe accipienda, cum tamen repugnet & Syrus interpres & Patrum nubes & ipſorum Pontificiorum interpretum ingenua confeſſio. Syrus ſanè ex Boderiana verſione ſic habet: *Honorabile eſt conjugium in omnibus & thorus eorum purus eſt.* Nec minus conſtat hoc ipſum ex Troſtiana & evidens hoc eſt, ſi ipſum originarium inſpicias textum, in quo deprehenditur particula הו commendationem matrimonii inſinuans, oppoſita impoſtoribus ſpiritibus jam tum paſſim graſſantibus. Par ratio Patrum eſt, qui Ellipſin non per ſubjunctivum vel imperativum; ſed indicativum ſupplent. Videatur Cyrillus *illuminatorum catecheſi. 4.* Auguſtin. *contr. Pelag. & Cæleſtium l. 2. qui eſt de peccato originali c. 34.* Fulgentius *3. de fide ad Petrum,*

 qui

qui ita diſſerit : *Non quia peccatum eſt, aut conjugem habere, aut vinum carneſve percipere, nam & beatus Apoſtolus dicit : quia omnis creatura DEI bona eſt, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur : ſanctificatur enim per verbum DEI & orationem. Conjugium quoque in primis hominibus DEUS inſtituit & benedixit : propter quod Apoſtolus ait : Honorabile connubium in omnibus & thorus immaculatus.* Ita ipſi Pontificii agnoſcunt aſſertionem non imperium, Cajetanus, Bellarminus, Hentenius : nec diſſimulat Eſtius, qui ad verba Apoſtoli ſubjicit : *Ex orthodoxis nonnulli interpretantur honorabile eſſe conjugium in omnibus, id eſt, omnino atque perfecte & omnibus modis, ut loquitur Oecumenius*, ut inſignis vel audacia vel ſtupor fuerit Gabrielis Vaſqueſii *tom. 3. in tert. Thom.* Nullum ex Patribus hoc modo prædictum locum intellexiſſe, imo neque ex catholicis expoſitoribus, quem vel ab ipſo allegati & paulo ante à nobis recenſiti poterunt ἐπιτομίζειν.

§. 7. Probant *ſecundo* ſatis infirmè. Prima ratio non colligit: Poſito enim, hoc caput eſſe ſecundam Epiſtolæ hujus partem & quidem ethicum, quis inde concludet ergo merè moralia, mera præcepta illud complectitur. Sane ut prima pars paſſim reſperſa monitionibus ſalutaribus, quæ dogmatica illis addit; ita in hac altera parte poſſunt commode intermixta eſſe dogmatica, imo reſperſa eſſe illis αὐτοψία oſtendit : quid enim vel ſolum illud : *Jeſus Chriſtus heri & hodie & in ſecula, v. 8.* ? ſcilicet Apoſtolus ſcribit Epiſtolas ad normam ingenii monaſtici, obſervavit methodum conſuetam Pontificiis, in curſibus Philoſophicis, qui diſtinctè theoreticam tractant & practicam diſtinctè ſubmittunt, nec ex abrupto præceptis de Eleemoſyna intexit dogma de honeſtate conjugii, cum nec hoc plane ſit inſolitum ex abrupto agere de alio atque diverſo ſacris ſcriptoribus: neque ipſe Cornelius hoc negare poſſit, qui præceptis de Eleemoſyna ſubjuncta aſſerit monita de caſtitate, quæ utique diverſa ſunt. Et denique nonnullam habuit cauſam Apoſtolus, ut fingit, quaſi nemo hoc jus omiſerit, nullus judæorum negaſſet. An enim non tempore Pauli præludebant Encratitis, Manichæis, qui conjugium pro re mala habebant & conſimilibus hæretici ? annon inter Hebræos erant Eſſeni, qui ſuperſtitioſe abſtinebant à matrimonio, ut ut τὸν γάμον καὶ τὴν ἐξ αὐτοῦ διαδοχὴν οὐκ ἀναιροῦντες ? annon Magiſtri judæorum

rum

rum nonnulli non exiſtimabant delinqui, ſi quis judæus cum fœmina non Iſraelitide rem haberet? quum lex Moſis tantum Iſraelitida proſtare vetet, contra quos egit capite quoque antecedente *v. 16.* annon ſpiritu prævidit extituros inter Pontificios honeſtatem hujus ſtatus pulſantes, Siricium dico, qui ita rugiit Epiſtola ad Himerium: *Si beatus Propheta ad lugenda populi peccata non ſibi ait lacrymas poſſe ſufficere: quanto nos poſſumus dolore percelli, quum eorum, qui in noſtro ſunt corpore, compellimur facinora deplorare?* Poſt: *Plurimos ſacerdotes chriſti atque Levitas, poſt longa conſecrationis ſuæ tempora, tam de conjugibus propriis, quam etiam de turpi coitu, ſobolem didicimus procreaſſe & crimen ſuum hac præſcriptione defendere, quia in veteri Teſtamento ſacerdotibus & miniſtris generandi facultas legitur attributa.* Sanior hic Bracarenſis Theologus ſcribens: *Honorabile connubium appellatur. Ait enim: Honorabile connubium in omnibus & thorus immaculatus. Quæ verba, ſi minus præceptum continent, ſaltem conjugii prædicant dignitatem. Syriacus interpres ad dignitatem videtur ſenſum referre dum ita vertit: Honorabile eſt conjugium in omnibus & thorus eorum eſt purus, &c. ad eundem ſenſum accedunt Chyſoſt. & Theophylact. Particula autem in omnibus, ut id obiter ſciatur, ambit omnes ætates, ut Theophylacto placet; poteſt etiam ad circumſtantias modi & temporis pertinere, quaſi dicat: in omnibus magnus honos habeatur matrimonio, ſed in hoc præcipuè ut thorus conjugalis ſit impollutus, ac nullo fœdetur adulterio. Quis non videt damnari hæreticos, prohibere nubere à Paulo? Bonum enim eſt, quod honorari jubet Apoſtolus vetatque ne quid homines contra ejus fidem & leges moliantur; Quod indicant verba ſequentia in eodem capite. Fornicatores, inquit & adulteros judicabit DEUS; id eſt, puniet: Reddit enim rationem cur matrimonium juſſerit honorari.* Saniores hac in parte ſunt judæi, qui conjunctionem viri cum uxore ſanctam & puram eſſe, multis argumentis docent, ut videre eſt apud R. judam compoſitorem libri Muſar *cap. 6.*

§. 8. Altera ratio itidem non colligit, non colligit illud de adulteris: ſicut enim Epiſcopatus eſt manetque τίμιον ἔργον, utut Epiſcopus non agat eidem conformiter; ita quoque τίμιος erit γάμος, utut ab adulteris contra illius decorum & honeſtatem agatur: Τίμιον quippe aliquid non dicitur ex actu ab homine exhibito; ſed

qua-

qualitate objecti: utut itaque conjugium non honoret, thorumque polluat, non tamen ipſum conjugium τίμιον juxta Syrum precioſum, quo ſenſu hæc vox quoq;' occurrit *Apoc. 18. v. 12. 2. Pet. 1. v. 4. 2. Cor. 6. v. 19. 1. Pet. 1. v. 19.* vel potius honeſtum, prout hic ſenſus ſtabilitur *ex act. 5. v. 34.* & ἀτιμία oppoſitum *Rom. 1. v. 26.* Non colligit illud de ratione add ta, fingitur enim illa non probatur: neque in textu originali habetur ratiocinativa, quam infarcit vulgatus; ſed adverſativa πόρνους δὲ *ſcortatores autem*, quæ vitia hæc fornicationis & adulterii indicat eſſe oppoſita ſtatui illi qui honeſtus, thoro illi immaculato. Non colligit denique illud de pœna quam DEUS comminatus ſit fornicatoribus & adulteris; hæc enim commodè intelligi poteſt ab Apoſtolo judicata non ſaltem ex deviatione à præcepto honeſtatis; ſed & ſtatus conjugalis ornamento: Fornicatores enim & adulteros utiq; judicabit DEUS, quia illi deviant à ſtatu à DEO inſtituto, & ab honeſtate conjugii exerrant ad ea, quæ huic ordinationi divinæ adverſa.

§. 9. Tertia denique ratio non ſubſiſtit: Sumitur enim in illa non probatur repeti præceptum de ſanctimonia, quæ capite decimo imperata fuit. Ipſe Eſtius refert indiſcriminatim illam ſanctimoniam ad omnes præſcindendo à conjugio, atque comparat eum loco Matt. 5. v. 8. *Beati mundi corde, quoniam ipſi DEUM videbunt.* Sumitur Chryſoſtomum & Theophylactum ſenſum imperativum fuiſſe ſecutos: contrarium liquet ex Chryſoſtomo, ita concludente: *Si conceſſum eſt matrimonium, merito punitur ſcortatio.* Ex Theophylacto ita interpretante: *paſſim & cunctis in rebus honore eſt dignum:* Ipſe Vaſquez diffiteri nequit, ſenſum indicativum fuiſſe probatum Theophylacto, ſcribens: *Theophylactus explicat in omnibus hominibus, qui tamen legitime conjuncti ſunt, ſive ſint ſenes, ſive juvenes, ſive Græci, ſive Judæi.* Sumitur denique & loca illa omnia eſſe imperativè accipienda, & poſito hoc, conſimiliter hoc eſſe explicandum, adeoque à particulari nihil infertur. Qui indicativè accipiunt aut parum aut nihil contra nos dicunt: phraſis quippe ἐν πᾶσι non tam neutraliter de conjugio, quam de perſonis & ordinibus hominum eſt accipienda. Nec male Beza: *inter quosvis, ἐν πᾶσι, id eſt inter cujusvis ordinis homines. Nam ſicuti communis eſt morbus iis omnibus, quibus non datum eſt, ut ſe poſſint continere;*

tinere; ita commune remedium eſſe par eſt. Alii aliter explicant, nempe omnibus modis, omnibus ætatibus, omni tempore. Sed facile eſt videre quid magis conveniat, & quocunque ſe vertant iſti cœlibatus defenſores, nunquam hunc locum ita poterunt torquere, ut non appareat diabolica legis cœlibatus tyrannis. Quanquam hoc ſanè ſubit mirari, quo Jure audeant iſti plerique de virginitate diſſerere, quorum vita nihil eſſe fœdius quis ignorat? Stabiliunt hunc ſenſum Patres ſupra laudati præprimis Theophylactus ab ipſo Vaſqueſio adductus, ipſe Bellarminus, expoſitione ultima. Stabilit noſtram ſententiam, phraſis hæc quocunque modo accipiatur; ſi enim neutraliter accipias, conſequens erit actus conjugales non eſſe ita comparatos, ut ex naturâ ſuâ repugnent ſacerdotio, ut impie locutus eſt Medina *l. 1. c. 47.* ut ſint actus ordinis profani oppoſiti ſacro ut perverſe ſenſit Alphonſus Virueſius, ut ſint inferiores honeſtate fornicationi, adeo, ut ſi ſacerdos fornicetur, aut domi concubinam foveat, tametſi gravi ſacrilegio ſeſe conſtringat, gravius tamen peccet, ſi contrahat matrimonium, ut blaſphemat quem in præfatione notavimus, Coſterus.

§ 10. Stabilit denique ſenſum noſtrum decretum Synodi Nicenæ cujus occaſionem pandit Socrates *hiſtor. l. 1. c. 12.* quæ digna, ut ipſius verbis exponatur ita conceptis: ἓν μὲν οὖν τοῦτο περὶ Παφνουτίου εἰρήσθω, ὃ δὲ πρὸς λυσιτέλειαν τῆς ἐκκλησίας καὶ κόσμον τῶν ἱερομένων, διὰ τὴν αὐτοῦ συμβουλὴν γέγονε διηγήσομαι, Ἐδόκει τοῖς Ἐπισκόποις νόμον νεαρὸν εἰς τὴν ἐκκλησίαν εἰσφέρειν, ὥστε τοὺς ἱερωμένους, λέγω δὲ ἐπισκόπους καὶ πρεσβυτέρους καὶ διακόνους μὴ συγκαθεύδειν ταῖς γαμεταῖς, ἃς ἔτι λαϊκοὶ ὄντες ἠγάγοντο. καὶ ἐπεὶ περὶ τούτου βουλεύεσθαι προὔκειτο, διαναστὰς ἐν μέσῳ τοῦ συλλόγου τῶν ἐπισκόπων, ὁ Παφνούτιος ἐβόα μακρὰ μὴ βαρὺν ζυγὸν ἐπιθεῖναι τοῖς ἱερωμένοις ἀνδράσι: Τίμιον εἶναι τὴν κοίτην, καὶ αὐτὸν ἀμίαντον τὸν γάμον λέγων, μὴ τῇ ὑπερβολῇ τῆς ἀκριβείας μᾶλλον τὴν ἐκκλησιαν προσβλάψωσιν, οὐ γὰρ πάντας δύνασθαι φέρειν τῆς ἀπαθείας τὴν ἄσκησιν, οὐδὲ ἴσως φυλαχθήσεσθαι τὴν σωφροσύνην τῆς ἑκάστου γαμετῆς, σωφροσύνην δὲ ἐκάλει καὶ τῆς νομίμου γυναικὸς τὴν συνέλευσιν, ἀρκεῖσθαί τε τὸν φθάσαντα κλήρου τυχεῖν μηκέτι ἐπὶ γάμον ἔρχεσθαι κατὰ τὴν τῆς ἐκκλησίας ἀρχαίαν παράδοσιν, μὴ μὲν ἀποζεύγνυσθαι ταύτης ἣν ἅπαξ ἤδη πρότερον λαϊκὸς ὢν ἠγάγατο, καὶ ταῦτ᾽ ἔλεγεν ἄπειρος ὢν γάμου, καὶ ἁπλῶς εἰπεῖν γυναικὸς πείθεται πᾶς ὁ τῶν ἱερωμένων Συλλο-

γος τοῖς παρθενίοις λόγοις. Διὰ καὶ τὴν περὶ τούτου ζήτησιν ἀπεσιώπησαν τῇ γνώμῃ τῶν βουλομένων ἀπέχεσθαι τῆς ὁμιλίας τῶν γαμετῶν καταλείψαντες. h. e. *Verum de una re à Paphnutio geſta hacteng. Alterã etiam narrabo eig conſilio confectã, quæ & Eccleſiæ utilitati, & omnibg qui ſacris ſunt initiati ornamento eſſe poſſit. Viſum erat Epiſcopis legem novã in Eccleſiã introducere, ut qui eſſent ſacris initiati, ſicut Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi, cum uxoribus, quas cum erant Laici in matrimonium duxiſſent, minimè dormirent. Et cum relatione facta poteſtas eſſet dicendæ ſententiæ, ſurgens è medio Epiſcoporum cœtu Paphnutius, vehementer inclamavit: grave jugum ſacris viris caverent imponere. Honorabile eſſe etiam cubile nuptiasque impollutas. Ne ſeveritatis exceſſu magis Eccleſiam læderent. Neque enim poſſe omnes ferre profeſſionem adeo alienam à paſſionibus: ſed neque forte ſervatum iri propriæ cujusque uxoris continentiam. Quin & continentiam appellavit cum legitima uxore. Sufficere verò eum quem occupaſſet ordinatio non progredi ad nuptias ex antiqua Eccleſiæ traditione, neque abjungendum ab ea quam duxiſſet, etiam num Laicus. Atque hæc ille expers nuptiarum imo etiam mulieris. Aſſentitur univerſus ſacrorum cœtus Paphnutii orationi. Inde ſilentio obruta quæſtio: permiſſumque cujusque arbitrio abſtinere congreſſu uxoris.*

§. 11. Generali argumento ſuccenturiamus ſpeciale ex 1. Tim. 3. v. 2. atque ita concludimus: Quemcunque oportet eſſe non ſolum ἀνεπίληπτον ſed & μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα ei conjugium non eſſe interdicendum. Atqui Epiſcopum oportet eſſe non ſolum ἀνεπίληπτον ſed & μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα ergo Epiſcopo conjugium non eſt interdicendum. Adde illud de Diaconis v. 12. Major propoſitio ſolis radio ſcripta eſt, quia quod requirit Apoſtolus in aliquo homine, illud utique non improbat, quod virtutibus miſcet, id utique DEO non diſplicens, quod à vitiorum remorantium vel dedecorantium cenſu eximit & poſitivè contradiſtinctèque ad illa tribuit, lege eccleſiaſtica prohiberi nequit. Minor legitur loco allegato: δεῖ, inquit Gentium Apoſtolus τὸν ἐπίσκοπον ἀνεπίληπτον εἶναι μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα. *i. e. oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe unius uxoris virum.*

§. 12. Opponunt ſe huic luci Pontificii I. *retorquendo.* Si ſenſus Lutheranorum ſubſiſteret, poſſe in nos ipſos retorqueri hoc

hoc telum exiſtimant, quaſi non licitum; ſed & neceſſarium eſſet,
ut Epiſcopi, Sacerdotes & Diaconi eſſent uxorati. Audiamus E-
ſtium, ita contra noſtros detonantem: *Ineptus eſt, & ſolis nec omnibus*
hæreticis probatus commentarius: Apoſtolicum eſſe præceptum, ut o-
mnis Epiſcopus uxorem habeat, ſed unam duntaxat: idemq; de pres-
byteris & diaconis eſſe judicium: quoniam & de diaconis infra ſtatui-
tur, ut ſint unius uxoris viri. In hac ſententia fuiſſe videntur Epiſc.
quidam Vigilantii conſortes, de quibus Hieronym. adverſus Vigilan-
tium diſſerens: Non ordinat, inquit, diaconos, niſi prius uxores duxe-
rint: nullic alibi credentes pudicitiam, imo oſtendentes quam ſanctè
vivant, qui male de omnibus ſuſpicantur. Facile autem hic ſenſus
refellitur ipſis ſanctorum exemplis. Nam nec Paulus ipſe, nec Timotheus
uxorem habuit: Apoſtoli vero qui uxores habuerunt, eas propter Chri-
ſtum & Evangelium dimiſerunt: ut nihil jam dicamus de tot ſan-
ctiſſimis Epiſcopis primitivæ ac veteris Eccleſiæ; quorum nullus uxo-
rem duxit. Si quis autem ante Epiſcopatum duxiſſet; eam deinceps
continenter victuram, à ſe removebat. Neque vero præceptum hu-
juſmodi de ducenda aut habenda uxore conſiſteret cum eo, quod idem
Apoſtolus 1. Cor. 7. dicit: Volo omnes homines eſſe ſicut me ipſum, id
eſt, abſtinentes & liberos à conjugio. Secundo *Majorem ſollicitan-*
do. Non ſcilicet conjugium prohibendum eſſe illi, qui tum tempo-
ris erat in conjugio; ita tamen uxoratos fuiſſe admiſſos, ad Epiſcopa-
tum, ut abſtinerent poſt promotionem, quod ipſi firmare conan-
tur ex Oecumenio ſcribente: *Non fert legem,* ὅτι ἀπὸ γυναικὸς εἶναι
δεῖ πάντως τὸν ἐπίσκοπον *ut omnino oporteat non uxoratum eſſe Epi-*
ſcopum: ſed ſi contingat, inquit, eſſe ἀπὸ κοσμικῶν *à ſecularibus* μὴ
δευτερόγαμος *ne ſit ſecundis nuptiis implicitus, ſive, ut ad coitum uni-*
cam norit uxorem legitimam: veruntamen vocatus ad Epiſcopatum,
illud impleat: ut qui habent, inquit, uxores, ſint tanquam non haben-
tes. Et volo omnes eſſe ſicut me, inquit Paulus. Tertio, *Minorem*
variè exponendo: Quidam enim per uxorem non thori ſociam, ſed
Eccleſiam intelligunt, ut ſenſus ſit: unusquisque Epiſcopus conten-
tus ſit ſua Eccleſia, nec eam deſerat, ſi forte tenuis ſit & paupercula,
ut aliam obtineat ditiorem. Quidam per unius uxoris virum ex-
cludi exiſtimant bigamos, ut ſcilicet Paulus hoc velit: Unius uxoris
virum admittendum ad Epiſcopatum, qui autem bigamus fuerit vel

ſimultaneè vel ſucceſſivè, excludendum eſſe ab hoc officio, & indignum eſſe judicandum. Rationes adducit Cornelius ſequentes: *Primo, quia non tantum lege Chriſti, ſed etiam uſu gentium, & lege Romanorum Polygamia tempore Chriſti, imo ante Chriſtum fuit abrogata, non tantum apud Chriſtianos; ſed etiam apud judæos & gentes omnes, erant polygami infames, ut patet ex edicto Diocletiani & Maximiani, quod extat l. Neminem C. de inceſtis nuptiis, & edicto Valeriani & Galieni l. Eum C. ad leg. jul de adulteris. Eum, inquiunt Imper. qui ſimul duas habuerit uxores, ſine dubitatione comitatur infamia, ſcilicet ex recepto jam pridem gentium uſu & conſuetudine. Supervacaneè ergo & fruſtra monetur hic à Paulo Epiſcopus, ne ſit polygamus, hoc eſt, ne plures ſimul habeat uxores, cum nec Laico id liceret, nec polygamia eſſet in uſu. Sicut ridicule jam v. gr. Pontifex ſcriberet ad Epiſcopos: Epiſcopus non debet eſſe polygamus, cum polygamia nec apud Laicos quidem ſit in uſu, aut permiſſa. Imò hoc ipſo, quo Apoſtolus hanc ab Epiſcopo perfectionem exigit, ut ſit unius uxoris vir, tacitè permittit Laico, ut ſit duarum uxorum vir: hoc autem ſimul eſſe non poteſt (quia obſtat lex Chriſti, imo & Romana, ut dixi,) ſed tantum ſucceſſivè intelligit, ſcilicet Epiſcopum ita unam habere, vel habuiſſe uxorem, ut poſt vel ante illam nullam aliam ſucceſſivè habuerit. Secundo, quia c. 5. v. 9. ſimili phraſi dicit Apoſtolus: Vidua eligatur non minus ſexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor. Atqui ibi intelligit unius viri uxorem illam, quæ poſt mortem mariti ſecundas non iniit nuptias, nec ſecundum habuit maritum: nunquam enim viſum fuit, unam uxorem duos ſimul habere maritos, ut ad hoc cavendum dixerit Apoſtolus eligendam eſſe unius viri uxorem: ergo pariter hic unius uxoris virum intelligit eum, qui ſucceſſivè tantum habuit unam, ita ut mortua prima uxore, non duxerit ſecundam. Tertio, quia hinc uſus antiquiſſimus Eccleſiæ habet, ut non ordinentur digami, qui duas uxores ſucceſſivè, ſed monogami, qui unam tantum habuerunt. Et eſt hæc communis Patrum, præter Theodoretum, expoſitio. Vide eos apud Bellarm. l. 1. de Cleric. c. 23. & 24.*

Denique quidam de præterito hunc textum accipiunt, quaſi dicat Apoſtolus: Eligendum eſſe illum in Epiſcopum, non qui habeat, ſed qui habuerit unam uxorem: ita Alphonſus à Caſtro, Hoſius, Klingius, Salmero, Coſmas Magalianus, Vaſquez; Bellarminus &

nus & alii, qui vel hoc vel illo clypeo volunt eſſe contra vim veritatis tuti.

§. 13. Luſtremus ſingula. Retorqueri poſſe in nos concluſionem contra Pontificios intortam, præpoſterè dicitur, cum dictum Pauli non referamus ad uxorem ſimpliciter; ſed potius ad appoſitam vocem, *unius*, adeoque non tam neceſſitatem conjugii, quam qualitatem ex hoc loco deducimus. Hinc contra Sylvium Jeſuitam proteſtatus fuit noſter Zeæmannus *Apolog. artic. 17. §. 4.* cum ad hunc locum quæſtionem ita formaſſet: Ob Sanct. Paulus befohlen daß die Diaconi, Biſchöff und Prieſter ſollen Weiber haben/ excipiendo: gleich als ob unſere Meynung wäre/ daß niemand/ er ſey dann ein Ehemann/ ein Biſchoff ſeyn könne/ welches doch weder S. Paulo noch uns jemaln zu Sinn gekommen: Dann der Eheſtand iſt nicht jedermann nöhtig/ ſondern denen/ die ſich enthalten können/ ſie ſeyen Geiſtlich oder Weltlich/ ſtehets frey/ daß ſie mögen ledig bleiben/ damit ſie deſto beſſer ſorgen was dem HErrn angehöret. *Virginitatem itaque una cum humilitate admiramur, & continentiam, quæ cum pietate & gravitate exercetur, admittimus: & à ſecularibus negotiis ſeceſſum cum humilitate ſuſpicimus: & honorabilem matrimonii conjunctionem honoramus.* Oder wie Epiphanius davon redet; *Sancta Eccleſia & virginitatem glorificat, & ſolitudinem & caſtitatem & virginitatem laudat, & nuptias pudicas honorat & ſuſcipit; ſcortationem vero & adulterium ac petulantiam interdicit.* Hinc Vaſquez. *tom. 3. in tert. quæſt. 77. §. 53.* Centuriatores ab hac ſententia abſolvit, cum præmiſſa Theodoreti & Chryſoſtomi commentatione, de excluſione plurium uxorum hic intimata, eodem modo intellexiſſe hunc locum Centuriatores *centur. 1. l. 2. c. 4* & alios hæreticos noſtri temporis ingenuè fatetur, cui paria dicit Coſmas Magalianus Bracarenſis ſocietatis Jeſu Profeſſor S. Scripturæ, & in Connimbricenſi Academia Regii artium collegii præfectus, ut qui ex profeſſo tractavit controverſias cum Evangelicis. Bellarminus ita examen hujus loci concludit: *Martinus Lutherus in propoſitionibus de digamia ipſe contendit iſta verba: unius uxoris virum eſſe accipienda negativè, non poſitivè, ita ut non teneatur Epiſcopus habere unam, ſed teneatur non habere plures fœminas unà cum uxore.* Secundo, poſito, hæc verba exponi de ne-

ceſſitate, abſurdum intentatum non difficulter declinare in proclivi eſſet, diſtinguendo inter neceſſitatem abſolutam & ſecundum quid talem, ita ut ſtatueremus per iſtud *μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα* Apoſtolum non velle, an unius an plurium uxorum poſſit eſſe Epiſcopus vir; ſed ſimpliciter, ut uxoratus ſit non de neceſſitate quidem; ſed quantum ad ἀνεπιληψίαν requiri videtur, & *μιᾶς* non ſit unius, ſed alicujus uxoris vir, quemadmodum εἷς, μία in ſcriptis Novi Teſtamenti aliquoties ſumitur, *Matth. 8. v. 19. cap. 21. v. 19. & 24. Marc. 14. v. 51. Luc. 5. v. 12. Joh. 6. v. 9.* Non diſplicuit hæc ſententia noſtro B. Chemnitio *part. 2. loc. cap de caſt. p. 537.* Tertio, exemplis iſta res non bene agitur, quia partim controverſa ſunt illa ipſa, partim falſum Apoſtolos reliquiſſe uxores, vocatos ad Miniſterium ſacrum, partim indemonſtrabile, nullum Epiſcopum primitivæ Eccleſiæ uxorem duxiſſe, uti patebit ex ſequentibus.

§. 14. Alterum ad majorem noſtram adhibitum telum obtuſum eſt: Nam ſi conjugium non obſtitit ordinando in primitiva Eccleſia, ſi non pugnavit cum miniſterio, ſi poteſt aliquis eſſe & Maritus & Epiſcopus, utique adhuc dum non pugnabunt hæc duo inter ſe, cum nulla ratio oſtendi poſſit, cur minus in una perſona hodie hæc duo ſociari poſſint: quum priſcis Eccleſiæ naſcentis temporibus, abrogatũ fuiſſe morem Apoſtolicum, dicere, in ſynodo Nicœna, & falſum ſit, etſi factum fuiſſet, improbandum. Imo oppoſitum contigiſſe, patet ex clauſula primo argumento ſubjuncta. Præterea quem redoleat genium dicere, abſtinuiſſe uxoratos Epiſcopos ab amicitia conjugali & actibus debitis per ſe patet. Prodidit myſterium iniquitatis Cornelius, qui contendit, factum id ob excellentem ſacerdotii dignitatem, quæ puritatem angelicam requirit, quaſi ſcilicet conjugium non eſſet honorabile in omnibus, thorus non ἀμίαντος, quaſi ipſa ordinatio divina adverſaretur functioni ſacræ, quaſi qui miſſificant, eſſent angeli labe carentes, contrarium docente & propterea conquerente ipſo cœlibatus Pontificii defenſore acerrimo Alberto Pighio. Certe is ipſam hanc controverſiam tractans, ita inquit: *Sacerdotis vilitas contemtus & irreverentia apud populum, primum ex multitudine nimia, deinde ex indignitate, poſtremo ex vita palam ſcelerata, ſcandaloſaque multorum, hujus ſacratiſſimi ordinis, mihi pendere videtur.* Hul dericus Epiſcopus Auguſtanus in Epi-

ſtola

ſtola: *Patrum uxores*, ſcribit, *ſubagitant, maſculorum & pecudum amplexus non abhorrent.* Item: *Qui Clericorum caſta conjugia ſibi fœtere dicunt, neq; adulteria, neq; inceſtū, neq; maſculorū turpiſſimos amplexus ſciunt abhorrere.* Propterea experientia ducti quidam ruſtici, nolebant parochum admittere niſi concubinam haberet, ut refert Barbat. in c. ac ſi Clerici de judic. quod à cœlibe timerent uxoribus ſuis. Addamus Jeſuitas, de quibus Alphonſus de Vargas Toletanus *in relat. de ſtrat. & ſoph. polit. ſoc. Ieſ. ad monarch. orb. terr. ſib. confic.* ita ſcribit: *Vulgo certè hoc Ieſuitæ faciunt, ut cum in ſocietatem pueros alliciunt, hoc meliorem ſocietatis, quam aliorum ordinum conditionem eſſe prædicent, quod Ignatius à DEO precibus obtinuerit, ut per centum annos inde ab eo die, quo nomotheſiam ejus ſive regulam ſedes Apoſtolica probavit, nemo ſociorum in lethale peccatum incidere queat, adeoque nihil ei quantumvis ſaturo, nitido, beneque curato, ab humana ſocietatis tentatione ſit periculi: cujus gratiæ ac privilegii prorogationem Xaverium in alios ducentos annos à DEO ſocietati impetraſſe, abhinc (anno 1636.) triennium Ieſuitæ in Alſatia plenis buccis gloriabantur. Quo minus autem apud pueros & adoleſcentes rerum imperitos eos talia quis jactare miretur, ipſi Friderico Borromæo Cardinali non dubitarunt tali ſe privilegio venditare, cum dicerent, DEUM ſibi ſervientibus neceſſaria minime negare, ſed affluenter dare habenti, ut abundet. Habere autem ſe gratiam voti, qua ſe alienam ſalutem procurandam obſtrinxerunt, velut 1. Reg. 2. ſcriptum eſt: Dat votum voventi & pedes ſanctorum ſuorum ſervabit, id eſt, quibus gratiam dedit, ut voverent, iisdem gratiam dabit, ut votum bonâ fide exſolvant, nec eos permittet cadere ipſius cauſa per univerſum orbem circumcurſantes, omniumque ſe hominum conſuetudini implicantes. Itaque neceſſaria Ieſuitis eſt gratia, ut nihil fœminarum forma, nihil puerorum & epheborum ſpecie commoveantur, nec inde natura obſcœnius ipſis excitata ſingultiat, magisque tentio quam tentatio ſudantes & inſolenter æſtuantes derumpat. Sed hac ſua gloriatione non modo Borromæo non perſuaſerunt, verum etiam ita eum ſibi alienarunt, ut in poſterum nec viſos, nec auditos vellet, quemadmodum familiaribus & amicis non ſemel faſſus eſt, ſicut etiam ſeminariorum ſuorum Clericos tandem ſcholis eorum interdixit, quod verbis negaret ſe poſſe exprimere nefaria illa, quæ in Braidenſis collegii eorum ſcholis perpetrari comperiſſet*

rißet

viſſet, quorum cauſa, ſi in ſua foret manu, omnibus omnino ſcholis eos ſe prohibiturum affirmabat, quod me ex ipſomet audiſſe, DEUM mihi teſtem judicemque adjuro. Nec tamen ulla eſt religio in libris Madriti Dillingæ, Monachii, alibique editis tam magnifice gloriari, ut multis ſe majorem, quam monachos à DEO gratiam mereri & in ſe ipſis experiri dicant, quod facile mihi perſuadebunt, ſi quos ipſi proximorum cauſa labores capiunt, aut majores, aut proximis utiliores, aut DEO gratiores eſſe docuerint, quam quos cepit Paulus Apoſtolus, & illæ Cedri Libani, illæ cœli columnæ, illi gregum duces Epiſcopi & Clerici, quos continentiæ gratiam non aliter, quam corporis ſui caſtigatione, inedia, ſiccitate, vigiliis, nuditate, frigore aſſiduaque verborum & operum divinorum meditatione à DEO impetraſſe ac tutatos eſſe, conſtat. Et quæ tandem res ſecuritatem Forero præſtare poteſt, ne quod ante alios Jeſuitis aulariis Principumque paraſitis, idem ipſi ſimiliter uſu veniat? Ite ad locum meum in Silo, ubi habitavit nomen meum in principio, & videte quæ fecerim ei, ait DEUS populo Hieroſolymitano confidenti ſibi in ſermonibus mendacii, ut alieni caſus exemplo metum in ſe conciperet. Ier. 7. Parimodo Forerus ſibi dictum putare poteſt: Noli altum ſapere, ſed time, ſi te ſtare exiſtimas, vide ne cadas. Abi Neoburgum proxime vicina, & vide quid ibi fecerim gemino germano tuo Iacobo Reihingio, qui non minus, quam tu, Pater patratus & quarto ſocietatis voto illigatus fuit. Hic cum in aula adſpectaretur, omnesque ob os ejus ora obverterent ſua, non minus ingenii & doctrinæ vim atque eloquentiam in eo ſuſpicientes, quam benevolentiam hominis apud Principem gratioſiſſimi ambientes, ipſe ſuperfluentibus ſe bonis ſaginatum, nullo tamen genere meliorem ſeipſo factum animadvertens, Provincialem ſocietatis præſidem ab aula miſſionem & in collegium aliquod receſſum popoſcit. Ille autem ſocietatis intereſſe exiſtimans, ut ad latus Principi hæreret, ejusque in ſocietatem prothymiam ac prolixum animi affectum aleret, ſtationem minime deſerere eum voluit. Manſit ergo in aula, tanquam in terra deſerta & invia & inaquoſa longe à fontibus ſalvatoris, donec ei contigit illud Ieſai. 50. Computreſcent piſces ſine aqua & morientur in ſiti. Quadam certe die, qui derepente nec opinanti ſupervenerant, Venerabilem Patrem venerabundum & patrantem, ac velut ſacerdotem una cum Camillo ſuo ſacra diis manibus facientem invenerunt. Exinde nec muliebres aſpernatus amores tandem non à ſocietate tantum

ſed

ſed prorſus etiam ab Eccleſia defecit, & malus male periit: velut mihi primarius quidem Cardinalis, ab ipſis Ieſuitis acceptum retulit. Hactenus de Vargas: Ipſe Papa Innocentius X. hac in parte innocens non fuit, cum progenuerit filiam unam, Mariam Pamphiliam, egregiæ venuſtatis & morum ſuaviſſimorum virginem, quæ raro in lucem prodiit, nec loco filiæ ab ipſo habita, quamvis alimenta & omnia neceſſaria ſufficientiſſime & magnifice ſatis ipſi ſuppeditarit. Hanc poſtquam Cardinalis cum titulo creatus eſt, procreavit. Denique falſiſſimum, abſtinuiſſe conjugibus vocatos ad Epiſcopatum, quis enim credat, Epiſcopos immemores fuiſſe illiꝰ Paulini *τῇ γυναικὶ ὁ ἀνὴρ τὴν ὀφειλομένην εὔνοιαν ἀποδιδότω 1. Corinth. 7. v. 3.* quo notat Apoſtolus honeſtè tempus congrediendi quod עונה Ebræi vocant? quis Græcos omnes blennos ac bardos dicat, qui conjugati fuere hucusq; & uxoribus uſi? quis inter decem res uxori debitas à marito, juxta Ebræorum ſententiam, ceſſaſſe in presbyteris & Epiſcopis, auſit affirmare, conjunctionis legitimæ debitum?

§. 15. Sed tranſeundum ad examen eorum quoque, quæ Minorem infirmare videntur. Putida eſt eorum opinio, qui à litera ſine neceſſitate diſcedunt & ad Ἐπισκοπὴν junctam ſiniſtrè verba Pauli referunt. Proſcribit illam ipſa veritatis meridies: tum quia de tali uxore loquitur, ex qua liberos ſuſcepit, quorum dotes & mores eodem hoc loco deſcribit: tum quia reliqua recenſita, quorum ſedecim Apoſtolus hic recenſet, ſatis produnt, quomodo hoc ſit accipiendum: tum quia planè nulla cauſa eſt, ſi totum inſpicias textum, quæ moveat ut à litera ad allegoriam deflectamus: Proſcribit illam Hieronymus epiſtola ad Oceanum arguendo: *Quidam coactè interpretantur uxores pro Eccleſiis, viros pro Epiſcopis debere accipi.* Proſcribunt denique illam ipſi Pontificii. Juſtinianus *alienam vocat à textu*: Coſmas Magalianus dicit: *illam non eſſe literalem.* Cornelius à Lapide dicit: *illam eſſe myſticam non ad literam fatente Ambroſio.* Eruditum itaque Eraſmi judicium opponimus iſtis depravatoribus ingenuè excandeſcentis, & commentantis ad hunc locum ita: *Id nunc nimium durè, ne dicam ridiculè torquent ad unam Eccleſiam. An Epiſcopus non habet multas Eccleſias? At Chryſoſtomus interpretatur de unica uxore, quam habeat Epiſcopus, addens tamen eſſe nonnullos qui ſic exponant, unius uxoris virum qui fuerit ſemel duntaxat*

xat maritus. Et periclitatur Chryſoſtomus, ne Paulus exigere videatur ab Epiſcopo, ut uxorem habeat, aut Exemplo judaeorum plures habeat ſimul. At nunc non ſolum à tot presbyteris exigitur caſtitas; verum etiam matrimonium ab hypodiaconis contractum dirimitur. Quin id quoque vehementer aſtringunt, quod eo ſeculo, quo ſumma erat ſacerdotum raritas, inſtituit Paulus ſervandum in Epiſcopis, ut non adiret hunc honorem digamus. Iam enim, cum tot ſint ſacerdotum ubique millia, excluduntur ſacerdotio, qui vel imprudentes duxerint corruptam, imo qui ante baptiſmum habuerit uxorem, & à baptiſmo duxerit alteram priore defuncta, arcetur à ſacerdotio, licet hac in parte graviter reclamante Hieronymo. Quin illud magis mirum, cum tot egregias dotes requirat Paulus in Epiſcopo, caeteris praetermiſſis, ſolius uxoris habetur ratio. Admittitur inceſtus, admittitur homicida, admittitur ſodomita, ſacrilegus, parricida, denique quis non? Solus digamus excluditur ab hoc honore, qui ſolus nihil admiſit. Mirum eſt autem ut quaedam urgemus ac plusquam mordicus tenemus, ad quaedam prorſus conniventes. Siquis perpendat horum temporum ſtatum, quotam hominum portionem monachorum greges occupent, quotam ſacerdotum & Clericorum collegia: deinde perpendat, quam pauci è tanto numero verè ſervent vitae caſtimoniam, tum in quae libidinum genera quam innumeri devergant, quanto cum probro complures palam inceſti ſint & impudici, fortaſſis judicabit magis expedire, ut iis qui prorſus non continent, jus fiat publici matrimonii, quod abſque mala fama, purè ſanctèque colant, potius quam infeliciter ac turpiter libidinentur. Nunc caelibes habet mundus quamplurimos, caſtos perpaucos. Quanquam nec is caſtus eſt, qui venerem non attingit, quia non licet. Sed etiam atque etiam vereor nè cenſus eccleſiaſtici caſtrent hodie Clericos verius, quam pietas, dum metuimus, ne quod tenemus intercipiatur, aut certè nihil accedat.

§. 16. Altera ſententia majorem habet ſpeciem, imò aliquo modo verũ dicit, juxta noſtros etiam interpretes, hinc illam ex toto, quod tamen nollemus factum, adoptavit Cl. Salmaſius *in tractatu de foenore trapezitico pag. 52. Cum praeſcribit Epiſcopo, inquit, ut unius ſit uxoris vir, licuiſſe oſtendit cuilibet de plebe plures habere uxores. Quomodo? Non per bigamiam aut polygamiam cumulativam, ſed per ſucceſſivam. Nemini enim per ea tempora licuit in imperio Romano, ex lege Iulia.*

dua

duas aut plures uxores ducere. Verum ſicut largimur polygamiam fuiſſe his Apoſtolicis verbis excluſam cumulativam ſive ſimultaneam; ita non poſſumus vel Bellarmino vel Salmaſio ſubſcribere, quantum ad bigamiam vel polygamiam ſucceſſivam, quanquam non neſciamus, Græcos ſemper iniquiores fuiſſe adverſus digamos quoscunque & trigamos ſive polygamos ſucceſſivos, pœna Eccleſiaſtica remotionis à ſacra communione etiam in illos conſtituta. Sed quicquid ſit, ponamus excluſam eſſe digamiam ſimultaneam & ſucceſſivam, nondum nervus argumenti erit inciſus, nam eo ipſo, quo digamia prohibita eſſe intelligitur, phraſi Apoſtolica, permiſſus eadem agnoſcitur unius uxoris uſus. Ut enim liberorum in ſubjectione requiſitum non excludit liberorum exiſtentiam, ſed exiſtentium inſolentiam; ita & Phraſis illa: Oportet Epiſcopum eſſe unius uxoris virum, poſito, quod digamiam omnimodo excludat, non propterea matrimonio obeſt; ſed potius illud in Epiſcopo ſtabilit. Ut autem ſupra negavimus, hic notari digamos; ita conſtanter in illa negatione perſiſtimus: Idque eò magis, quia Hieronymum, aliàs in hac materia non liberalem, habemus daduchum, qui in epiſt. ad Oceanum Camerium Hiſpaniæ Epiſcopum: *Qui duas uxores poſt Baptiſmum ſucceſſivè habuerit, ſufficienter defenditur.* Denique, rationes à Cornelio adductæ cum infirmæ ſint, potius nos in ſententia noſtra confirmant, quam ab eadem deturbant.

§. 17. Prima quippe non colligit, quam Vaſquez quoque urget: quia I. non evicit Cornelius ante Chriſtum fuiſſe abrogatam polygamiam uſu gentium & lege Romana, quicquid ſit de edicto Diocletiani & Maximiani, Valeriani & Galieni ſerius promulgato, contrarium diſpaleſcit, tum de Judæis, ex teſtimonio Chryſoſtomi *homil. 10. in 1. ad Tim.* ſcribentis: *μιᾶσ γυναικὸς ἄνδρα: ὐ νομοθετῶν τῦτο φήσιν, ὡς μὴ εἶναι ἐξὸν ἄνευ τῦτυ γίνεσθαι: ἀλλὰ τὴν ἀμετρίαν κωλύων ἐπειδὴ ἐπὶ τῶν Ἰυδαίων ἐξῆν, καὶ δευτέροις ὁμιλεῖν γάμοισ, καὶ δύο ἔχειν κατὰ ταυτὸν γυναῖκας*: h. e. *unius uxoris virum: Non hoc veluti ſanciens dicit, quaſi non liceat abſque eo eſſe; ſed immoderatam licentiam cohibens: quia apud judæos licebat etiam ſecundo matrimonio jungi duasque ſimul uxores habere.* Ex juſtino Martyre, in colloquio cum Tryphone, morem inveteratum reprehendente ſequentibus: *βελτίον ἐςιν ὑμᾶς τῷ Θεῷ ἕπεσθαι ἢ τοῖς ἀσυνέτοις καὶ τυφλοῖς διδασκα-*

δασκάλοις ὑμῶν οἵτινες καὶ μέχρι νῦν καὶ τέσσαρας καὶ πέντε ἔχειν ὑμᾶς γυναῖκας ἕκαςον συγχωροῦσι: i. e. *Præſtaret vos DEO obſequi quam ſtultis cæcisque veſtris magiſtris, qui ad huncuſque diem, permittunt vos quatuor & quinque uxores habere.* Et ruſſus dialogo extremo: εἰ συνεχωρεῖτο ἣν βούληταις καὶ ὡς βούλεται καὶ ὅπως βούλεται λαμβάνειν γυναῖκας ὁποῖον πράττουσιν οἱ ἀπὸ τοῦ γένους ὑμῶν ἄνθρωποι κατὰ πᾶσαν γῆν ἔνθα ἂν ἐπιθυμήσωσιν ἢ προσπεμφθῶσιν ἀγόμενοι ὀνόματι γάμου γυναῖκας, πολὺ μᾶλλον ἐν τῷ Δαβὶδ τοῦτο συνεχωρεῖτο πράξειν: i. e. *ſi liceret quam quis vellet & quot vellet ſumere uxores, quod veſtri faciunt generis homines, in quamcunque regionem peregrinatum iverint, aut miſſi fuerint, ducentes nuptiarum nomine mulieres, multo magis licuiſſet id ipſum Davidi.* Ex Theophylacto, qui ad hæc verba; *Vnius uxoris virum*, dici exiſtimat, *ut qui ad eam Epiſcopatus provehendus ſit dignitatem non multas habuerit uxores; ſed unam.* Quod & dicit, ne judæos in ea re ſectarentur, quibus ut plurimos filios procrearent, ut & plures haberent uxores, permittebatur. Quibus jure jungimus Joſephum Antiquit. *lib. 17. c. 1.* ſcribentem: πάτριον γὰρ ἐν ταυτῷ πλείοσιν ἡμῖν συνοικεῖν: id eſt, *Mos enim nobis patrius, pluribus uxoribus uti.* Tum de judæis & Græcis ex teſtimonio Theodoreti, cujus verba digna ſunt ut addantur: *Illud*, inquit, *unius uxoris virum, mihi videntur quidam recte dixiſſe: olim enim conſueverant & Græci & Iudæi cum duabus & tribus & pluribus etiam uxoribus ſimul jungi lege matrimonii. Quin etiam nunc cum leges imperatoriæ prohibeant duas ſimul uxores ducere rem habent cum concubinis & meretricibus. Dixerunt ergo: divinum dixiſſe Apoſtolum, eum qui cum una ſola uxore pudice cohabitat, dignum eſſe qui ordinetur Epiſcopus.* Neque enim ſecundum inquiunt, *rejecit matrimonium, qui illud ſæpe juſſit fieri. Hæc conſiderans, admitto eorum interpretationem, qui ſic intellexerunt.* Tum de gentibus ſpeciatim ex ſacris & profanis ſcriptoribus. Notus eſt locus Tertulliani Apologetici *cap. 6.* *Vbi eſt illa felicitas matrimoniorum de moribus utique proſperata, quæ, per annos ferme ſexcentos ab urbe condita, nulla repudium domus ſcripſit? At nunc in fœminis præ auro nullum leve eſt membrum, præ vino nullum liberum eſt oſculum; repudium vero jam & votum eſt quaſi matrimonii fructus.* Senecæ *lib. 3. de beneficiis c. 16.* cujus ætate Paulus vixit, qui poſtquam dixiſſet, quomodo pudorem rei tolleret peccantium multi-

dor

do, & commune maledictum deſineret eſſe probri loco, exemplo hoc commonſtraturus: *Nunquid jam ulla,* inquit, *repudio erubeſcit, poſtquam illuſtres quædam ac nobiles fœminæ, non conſulum numero; ſed maritorum annos ſuos computant, & exeunt matrimonii cauſa, nubunt parricidii? Tamdiu iſtud timebatur, quamdiu rarum erat.* Adde Juvenalem declamitantem *Satyr. 6.*

Imperat ergò viro, ſed mox hæc regna relinquit
Permutatque domus, & flammea conterit, inde
Avolat & ſpreti repetit faſtidia lecti;
Ornatus paulo ante fores pendentia linquit
Vela domus & adhuc virides in limine ramos.
Sic creſcit numerus ſic fiunt octo mariti,
Quinque per autumnos:

Martialem:

Et nubit decimo jam Theleſina viro.

Videatur etiam ὁμόψηφος Cajetanus. Quia II. Non eſt conſequens ſupervacaneam fore monitionem paulinam, quia illa abſtinentia communis, ut Vaſquez loquitur, adeoque etiam plebi interdicta digamia ſimultanea, ſi enim illa non decebat laicos, ſi plebi interdicta, ut & contra leges, utiq; eo magis prohibere hoc & debuit & voluit Apoſtolꝰ, quemadmodū reliqua vitia, utut ſint communia, tamen ab Epiſcopo voluit eſſe vel remotiſſima, ideam optimi miniſtri delineans Paulus. Quia III. ita Epiſcopo unam adjudicat uxorem, ut tamen non ſolis laicis permittat ſucceſſivam digamiam, quemadmodum non eſt conſequens. Apoſtolus vult ut Epiſcopus non ſit turpis lucri cupidus, ergo tacitè πλεονεξίαν permittit laicis, neque enim ſequitur: Si Epiſcopus unius uxoris maritus eſſe debet, interdicta eidem eſt digamia ſucceſſiva, ſed potius & illi & laicis interdicta eſt cumulativa, licet ſpeciatim hoc interdictum ad Epiſcopum in hoc loco Apoſtolus retulerit.

§. 18. Altera ratio itidem non concludit: tum, quia falſum ex dictis: fœminas iſtius temporis non plures habuiſſe viros ſimultaneos, utpote, quæ priores repudiarunt, ut Apoſtolus hoc velit: Vidua eligatur, quæ fuerit unius viri uxor, non ſucceſſivè plurium, quæ primo marito mortuo, ad altera vel tertia vota tranſierit; ſed quæ

D 2 in

in ſimultanea polygamia vixit, illa non eligatur, illa ad miniſterium non adhibeatur: tum, quia ſi ſenſus eſſet hujus loci, quem fingunt Pontificii, nihil concluderet ob diſparitatem ſubjectorum. In vidua enim requiritur, ut non amplius virum habeat, in Epiſcopo vero hoc non requiritur, ſed hoc ſaltem ut conjugatus non niſi unam conjugem habeat, ut proin electi fuerint Epiſcopi, qui adhuc actu fuerint conjugati, unus atque alter, qui actu vir unius uxoris non viduus, qui illam extulerit. Utut itaq; debuiſſet attendi in vidua; quod in præterito fuerit unius viri uxor, non plurium etiam ſucceſſivè, non tamen id ad Epiſcopum accommodari poſſet, ſi quidem in eo non attendatur quis fuerit, ſed quis ſit de præſenti. In præſenti vero poterit quis vir eſſe unius uxoris, qui tamen ſecundam & tertiam ſucceſſivè habeat: tum, quia viduis nunquam prohibitæ fuere nuptiæ ſecundæ, quod Theodoretus in hæc verba obſervavit ſcribens; *Hinc etiam manifeſtum eſt, quod non rejecit ſecundas nuptias; ſed decernit ut in matrimonio caſtè vivant. Neque enim qui ſecundum matrimonium lege ſuperius conſtituit, prohibuit, ut quæ ſecundas ſit ſecuta nuptias, non aſſequatur corporale ſubſidium: qui aperte præcipit, ut bonum faciamus omnibus hominibus.*

§. 19. Tertia denique ratio non colligit. Ludit illa. I. in voce digami, ſi votis ex antiquitate colorem obduceret. II. Agnoſcitur ab ipſo Baronio non fundata, qui annal. tom. 6. p. 52. edit. Antwerp. ad ann. Chriſti 448. epiſtolam Theodoreti pro defenſione Irenæi Tyr. Epiſcopi producit, longe alia docente, cujus verba juvat apponere: *Ego*, ſcribit Cyri Epiſcopus, *puto oportere ſcribere ad eos, qui ſcripſerunt clericos regiæ urbis, quod ego calculo & ſententia piiſſimorum Epiſcoporum adductus, piiſſimum Ireneum Epiſcopum ordinavi, cum ejus Zelum & magnanimitatem & alias ejus virtutes rectè ſcirem, & præter hæc dogmatum rectitudinem. Nunquam enim ſcimus, renuiſſe aliquando ſanctam virginem Deiparam appellare, vel aliud aliquid contrarium ſentire Evangelicis dogmatibus. Quod vero ad bigamiam pertinet, noſtros majores ſecutus ſum: Beatæ enim & piæ memoriæ Alexander* (ante Theodoretum hic fuit Antiochenus Epiſcopus) *qui Apoſtolicam hanc ſedem rexit, cum beatiſſimo Acacio Berœenſi Epiſcopo, beatæ memoriæ Diogenem ordinavit bigamum exiſtentem, ſimiliter etiam beatus Prailius* (hic fuit Hieroſolymorum poſt

Johan-

Johannem Epiſcopus) *Domninum Cæſareæ Epiſcopum bigamum Conſuetudinem itaque ſecuti ſumus, & homines inſignes, tum doctrina tum vita celebres. Multa etiam alia hujusmodi, beatæ memoriæ, Proclus Conſtantinopolitanus Epiſcopus edoctus, & ipſe ordinationem ſuſcepit & laudavit, & literas eas approbavit. Ita etiam Ponticæ provinciæ qui præſunt primates, & præſtantiores, ſunt piiſſimi Epiſcopi, & omnes Palæſtinæ: nec ulla dubitatio, ut controverſia de hoc orta eſt: Et impium ducimus, hominē condemnare, qui multis & variis rebus optime geſtis eſt exornatus. Hæc & his ſimilia, mea quidem ſententia ſcribere oportet. Si vero aliud quippiam tua ſanctitas expedire putaverit illud fiat. Ego enim cum unam (ut putant) pœnam & condemnationem acceperim & ſubierim, præſto ſum divina ope aliam etiam ſubire: etſi velint tertiam & quartam, divina votis opem ferente gratia, omnes æquo animo feremus, Dominum laudantes. Si vero tuæ probatur pietati, videamus quid nobis à Palæſtina reſcribatur; & cum quid agendum ſit, diligenter perpenderimus, ita Conſtantinopolim ſcribemus.* III. Falſo ad Patres provocat & conſentientes in hoc puncto. Quanquam enim non negemus, hic aliquantum ceſpitaſſe quosdam, de moraliter tamen omnibus doceri hoc nequit, neque omnes in hanc ſententiam conceſſiſſe probavit vel Cornelius, vel ad quem provocat Bellarminus.

§. 20. Tertia ſententia omni fundo deſtituitur, quanquam enim Hieronymus *lib. 1. adverſus Jovinianum* ad hunc ſcopulum declinarit, nec non Boderiana Syra verſio uſa fuerit verbo: *fuerit*; & unus alterque Jeſuita præſidium in hoc effugio quæſierit, evidens tamen eſt, nullo niti eam fundamento. Repugnat ſane eidem virtutum apparatus, de præſenti accipiendus: neque eligendus qui fuit irreprehenſibilis, licet amplius talis non exiſtat, ſed qui actu ipſo de præſenti ἀνεπίληπτος: verbum præſentis temporis luculenter expreſſum: oportet εἶναι eſſe, non fuiſſe: quis enim perſuadeat, præteritum eſſe hic intelligendum de conjugio, cum illud εἶναι omnia prædicata Epiſcopi in præſenti deſignet. Denique pariter poſſet audax Paraphraſtes graſſari in deſcriptionem uxorum verſic. 12. atque negare ea, quæ Paulus iisdem tribuit: An & illa non de præſenti ſtatu ſunt accipienda; ſed de qualitatibus & dotibus decoctis atque ſepultis. Hinc Cornelius poſtquam tres recenſuiſſet ſententias atque an-

 ne-

nexuiſſet hanc de præterito ſtatu delineationem confeſtim ſubdit: *Omnes alii, præter Theodor. haſce expoſitiones refellunt validis rationibus, voluntque per unius uxoris virum intelligi monogamum abſolutè, qui ſecundas non iniit nuptias nec ſucceſſivè plures habuit uxores, ſed unam tantum.* Subjungimus *canon. 13.* Synodi Trullani Quiniſextæ, quæ ita ſonat: Ἐπειδὴ ἐν τῇ ῥωμαίων ἐκκλησίᾳ ἐν τάξει κανόνος παραδεδόσθαι διέγνωμεν τοὺς μέλλοντας Διακόνου ἢ Πρεσβυτέρου χειροτονίας ἀξιοῦσθαι, καθομολογεῖν ὡς οὐκέτι ταῖς αὐτῶν συνάπτονται γαμεταῖς. ἡμεῖς τῷ ἀρχαίῳ ἐξακολουθοῦντες κανόνι τῆς ἀποστολικῆς ἀκριβείας καὶ τάξεως, τὰ τῶν ἱερῶν ἀνδρῶν κατὰ νόμους συνοικέσια, καὶ ἀπὸ τοῦ νῦν ἐρρῶσθαι βουλόμεθα, μηδαμῶς αὐτῶν τὴν πρὸς γαμετὰς συνάφειαν διαλύοντες, ἢ ἀποστεροῦντες αὐτοὺς τῆς πρὸς ἀλλήλους κατὰ καιρὸν τὸν προσήκοντα ὁμιλίας ὥς τε, εἴ τις ἄξιος εὑρεθείη πρὸς χειροτονίαν ὑποδιακόνου ἢ διακόνου ἢ πρεσβυτέρου οὗτος μηδαμῶς κωλυέσθω ἐπὶ τοιοῦτον βαθμὸν ἐμβιβάζεσθαι, γαμετῇ συνοικῶν νομίμῳ μήτε μὴν ἐν τῷ τῆς χειροτονίας καιρῷ ἀπαιτείσθω ὁμολογεῖν, ὡς ἀποστήσεται τῆς νομίμου πρὸς τὴν οἰκείαν γαμετὴν ὁμιλίας. Ἵνα μὴ ἐντεῦθεν τὸν ἐκ Θεοῦ νομοθετηθέντα καὶ εὐλογηθέντα τῇ αὐτοῦ παρουσίᾳ γάμον καθυβρίζειν ἐκβιασθῶμεν, τῆς τοῦ εὐαγγελίου φωνῆς βοώσης. Ἃ ὁ Θεὸς ἔζευξεν, ἄνθρωπος μὴ χωριζέτω. Καὶ τοῦ Ἀποστόλου διδάσκοντος τίμιον τὸν γάμον καὶ τὴν κοίτην ἀμίαντον, καὶ δέδεσαι γυναικί, μὴ ζήτει λύσιν. Ἴσμεν δὲ ὥσπερ καὶ οἱ ἐν Καρθαγένῃ συνελθόντες τῆς ἐν βίῳ σεμνότητος τῶν λειτουργῶν τιθέμενοι πρόνοιαν ἔφασαν, ὥς τε τοὺς ὑποδιακόνους, τοὺς τὰ ἱερὰ μυστήρια ψηλαφῶντας, καὶ τοὺς διακόνους καὶ πρεσβυτέρους καὶ τοὺς ἰδίους ὅρους, καὶ ἐκ τῶν συμβίων ἐγκρατεύεσθαι, ἵνα καὶ τὸ διὰ τῶν ἀποστόλων παραδοθέν, καὶ ἐξ αὐτῆς τῆς ἀρχαιότητος κρατηθέν, ὁμοίως φυλάξωμεν, καιρὸν ἐπὶ παντὸς ἐπιστάμενοι πράγματος, καὶ μάλιστα νηστείας καὶ προσευχῆς. Χρὴ γὰρ τοὺς τῷ θυσιαστηρίῳ προσεδρεύοντας, ἐν τῷ καιρῷ τῆς τῶν ἁγίων μεταχειρίσεως ἐγκρατεῖς εἶναι ἐν πᾶσιν, ὅπως δυνηθῶσιν, ὃ παρὰ τοῦ Θεοῦ ἁπλῶς αἰτοῦσιν, ἐπιτυχεῖν, εἴ τις οὖν τολμήσοι παρὰ τοὺς ἀποστολικοὺς κανόνας κινούμενος τινὰ τῶν ἱερωμένων, καὶ πρεσβυτέρων φαμὲν ἢ διακόνων, ἀποστερεῖν τῆς πρὸς τὴν νόμιμον γυναῖκα συναφείας τε καὶ κοινωνίας, καθαιρείσθω. ὡσαύτως καὶ εἴ τις πρεσβύτερος ἢ διάκονος, τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα προφάσει εὐλαβείας ἐκβάλει, ἀφοριζέσθω ἐπιμένων δὲ καθαιρείσθω. hoc eſt. *Quoniam reſcivimus in Romana Eccleſia loco canonis traditum eſſe, ut quicunque ordinationem diaconi vel presbyteri adepturi ſunt, profiten-*

tur, ſe deinceps cum ſuis ipſorum uxoribus non congreſſuros; nos antiquum Apoſtolicæ exactæ conſtitutionis canonem ſecuti, virorum, qui in ſacris ſunt, legitima conjugia etiam in poſterum valere volumus, nullo modo eorum cum uxoribus copulam diſſolventes, aut eas mutua conſuetudine, quæ congruo tempore fiat, privantes. Quamobrem qui hypodiaconi, vel diaconi vel presbyteri ordine dignus compertus fuerit, ne prohibeatur eum gradum conſcendere, quia legitimæ uxori cohabitet; nec ipſo ordinationis tempore compellatur profiteri, quod legitimo ſuæ uxoris congreſſu velit abſtinere; ne hinc, vel hoc poſito, conjugium à DEO inſtitutum & ipſius præſentia benedictum cogamur contumelia afficere, Evangelio clamante; Quæ DEVS conjunxit homo ne ſeparet; & Apoſtolo dicente: Nuptias eſſe honorabiles & cubile impollutum. Item: Alligatus es uxori, ne quæras ſolvi. Novimus autem eos, qui Carthagini convenerunt, de honeſtate & gravitate morum, qua miniſtri pollerent, ſollicitos dixiſſe, ut hypodiaconi, qui ſacra miniſteria contrectant & diaconi & presbyteri in propriis ſuis terminis ab uxoribus abſtineant, ut quod per Apoſtolos traditum eſt, & antiquitas obtinuit, nos ſimiliter obſervemus, opportunum cuique rei tempus tribuentes, maxime jejunio & precibus. Oportet enim eos, qui altari adſident, tempore quo ſacra tractantur, omnino continentes eſſe, ut poſſint, quod ſimpliciter à DEO petunt, obtinere. Siquis igitur adverſus Apoſtolicos canones inſurgens, auſus fuerit aliquos conſecratorum presbyterorum, dicimus, aut diaconorum conſuetudine aut commercio legitimæ uxoris privare, deponitor. Similiter ſiquis presbyter aut Diaconus ſuam uxorem prætextu pietatis ejiciat, ſegregator; ſi perſeveret, deponitor.

§. 21. Tertium denique argumentum, quo finire placet noſtram ſententiam, ducimus ex eadem ad Timotheum priori epiſtola cap. 4. v. 3. qui locus egregie qualitatem hujus prohibitionis dilucidat: concludendo hoc modo: Quicquid eſt apoſtaticum, dæmoniacum & antichriſtianum, illud temerè & impiè in eccleſiam eſt introductum. Atqui interdictio conjugii eſt apoſtatica, dæmoniaca & antichriſtiana. Ergo interdictio conjugii temerè & impiè in eccleſiam eſt introducta. Major nulla eget probatione. Minor in terminis fere legitur 1. Tim. 4. v. 1. 2. 3. 4. Τὸ δὲ πνεῦμα ῥητῶς λέγει, ὅτι ἐν ὑστέροις καιροῖς ἀποστήσονταί τινες τῆς πίστεως, προσέχοντες πνεῦμα πλάνης καὶ διδασκαλίας δαιμονίων ἐν ὑποκρίσει ψευδολόγων κεκαυ-

τηριασ-

τηριασμένων τὴν ἰδίαν συνείδυσιν. Κωλυόντων γαμεῖν, ἀπέχεσθαι βρωμάτων, ἃ ὁ θεὸς ἔκτισεν εἰς μετάληψιν, μετὰ ἐυχαριςίας τοῖς πιςοῖς καὶ ἐπεγνωκόσι τὴν ἀλήθειαν ὅτι πᾶν κτίσμα θεῦ καλὸν καὶ ὐδὲν ἀπόβλητον μετὰ ἐυχαριςίας λαμβανόμενον. hoc eſt. *Spiritus autem manifeſte dicit, quia in noviſſimis temporibus diſcedent quidem fide, attendentes ſpiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum. In hypocryſi mendacium loquentium, cauteriatam habentium ſuam conſcientiam. Probibentium nubere, abſtinere à cibis, quos DEUS creavit, ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & iis qui cognoverunt veritatem. Quia omnis creatura DEI bona eſt, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur.*

§. 22. Adoriuntur hoc argumentum μισόγαμοι I. *Retorquendo.* Illos enim doctrinam dæmoniorum profiteri inquiunt, qui prohibeant abſtinere à cibis & conjugio. At id non facere Pontificios ſed jubere. Hæreticos autem prohibere abſtinentiam: hæreticos itaque ab Apoſtolo, ita Lutheranos condecorant, fuiſſe notatos. II *Minorem reſtringendo.* Interdictum ſcil. conjugii abſolutè & ſimpliciter, tale concedunt eſſe iſtius generis, ſed non interdictum determinate tale in clericis: *Perinde enim eſſe*, inquit Cornelius, *ac ſi quis diceret: Magiſtratus vetat ne fabri murarii aut ferrarii exerceant lignariam; Ergo magiſtratus vetat exerceri lignariam. Rurſum: Status vetant, ne miniſtri Evangelii exerceant ſutoriam, vel latrinariã. Ergo vetant ſutoriã vel latrinariã. Quod ſi ad miniſtrorum decus, nolint ſtatus, eos vilibus hiſce mechanicis artibus vacare, num ideò mechanicas iſtas prohibẽt, aut ab aliis exerceri vetant? Si imperator nolit ad militiã admitti clericos, Doctores, Medicos, Theologos, Iuriſperitos: num ideo prohibet clericatum, Medicinam Theologiam, jurisprudentiam?* Hinc non Pontificios ſed Encratitas, Marcionitas, Manichæos, Ebionem, & Saturninum notari, quod probat: *primò ex ratione, qua eos impugnat Apoſtolus cum ſubdit: Quia omnis creatura DEI bona eſt, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. q. d. Errant hi, dum aliquas creaturas natura ſua eſſe malas & vitandas docent: nam omnis creatura DEI bona eſt, & ad uſum homini data à DEO. Secundo, id docent diſerte Patres communi conſenſu Chryſoſt. Theophilactus, Oecumenius, Ambroſius hic & Auguſtinus l. contra Adimantum cap. 14. Hos, inquit, proprie deſignat, qui non propterea temp-*

rant à cibis talibus, ut aut concupiſcentiam ſuam refrenent, aut infirmitati alterius parcant, ſed quia ipſas carnes immundas putant, & earum creatorem DEUM eſſe negant. Tertio, quia hanc fuiſſe hæreſin Encratitarum, quorum ductor fuit Tatianus S. Juſtini diſcipulus, docet Irenæus l. 1. c. 30. inde eſſe dictos Encratitas id eſt continentes. A Saturnino, inquit Irenæus, & Marcione exorti, qui vocantur continentes, abſtinentiam à nuptiis annuntiaverunt, fruſtrantes antiquam plaſmationem DEI, & obliquè accuſantes eum qui maſculum & fœminam ad generationem hominum fecit, & eorum quæ vocantur apud eos animalia, abſtinentiam induxerunt, ingrati exiſtentes ei, qui omnia fecit, DEO. De Marcione hæc habet Epiphan. hær. 42. Docet hic, Marcion, animatis non veſci, pronuncians reos eſſe judicii eos, qui carnem edunt, velut qui animas edant. De Saturnino ejuſque aſſeclis Irenæus l. 1. c. 22. ita ait. Nubere & generare à ſatana dicunt eſſe: Multi autem ex his qui ſunt à Saturnino, & ab animalibus abſtinent, perfecta hujusmodi continentia ſeducentes multos. De Manichæis teſtis eſt Epiphan. hær. 66. Eos de abſtinentia ab animatis eadem docere cum Marcione: Edentem, inquit, Carnes Manichæus animam edere dicit, & eſſe ipſum reum, ut & ipſe tale quid fiat, ſi taurum edat, ut taurus fiat, ſi porcum edat, ut porcus fiat, & ſic de reliquis. Quapropter ab animatis abſtinent iſti, Et ſi quis, inquit, Manichæus uxorem duxerit, etiam ipſe poſt diſceſſum ex hac vita in aliud corpus tranſit, & fit mulier, quo etiam ipſe nubat: dicit quoq; Deum malum feciſſe corpus, Deum vero bonum animas. III. Totum argumentum concedendo. Non, inquit Bellarminus. *Eccleſia prohibet matrimonium, aut cogit ullum ad cœlibatum abſolute ſuſcipiendum; ſed ſolum requirit eam conditionem in iis, qui initiari volunt ſacris myſteriis, quam ſi quis nolit accipere, poteſt non accipere, ſed non initiabitur. Quemadmodum non cenſetur Eccleſia prohibere judicia forenſia, nec officium tortoris, etiamſi nolit talia ab Eccleſiaſticis fieri. Ad locum Apoſtoli dicimus cum Hieronymo l. 1. in Jovinianum, & Auguſt. l. 30. contra Fauſtum c. 4. & 6. Ambr. Chryſoſtomo, aliisq; in hunc locum, notari ab Apoſtolo eos, qui abſolutè nuptias, ut malas prohibebant, quales fuerunt Tatianus, Marcion, & Manichæus.* Ita Coſteri, Ducæi, Magaliani, Bellarmini, Duacenſes & alii quam plurimi.

§. 23. Verum primæ exceptionis vafritiem obtundit *pia &*

docta antiquitas, quæ non juſſionem abſtinentiæ ſed prohibitionem liciti hic judicatam eſſe vidit, atque notavit. Laudamus inter alios, ut parcamus Tertulliano, Ambroſio, Auguſtino, Oecumenium atticiſmum obſervantem cujus verba ſunt: ὐκ ἔςι σφάλμα καταγραφικὸν τὸ ἀπέχεσθαι βρωμάτων, ὡς ἐνίοις ἔδοξεν, ὐδὲ παρόραμα ἀποςολικὸν, ἀλλὰ καὶ ὀρθῶς εἰς τὴν Ατθίδα συνήθειαν διαπεφρασμένον i. e. *Non eſt menda ſcriptionis, illud, abſtinere cibis, ut quibusdam viſum: neque inadvertentia Apoſtoli: ſed phraſis recte expreſſa ad Atticam conſuetudinem.* Et ſubjicit exempla: ὥσπερ τὸ ἐκώλυσεν αὐτὸν μὴ ποιεῖν τὰ ἄτοπα ὐ λέγει ὡς εἰς ἀτοπίαν αὐτὸν πρὐτρεπεν καὶ τὸ ἀπέτρεπεν αὐτὸν μὴ προσκρύειν φίλοις ὐχὶ φίλοις προσκρύειν, ἀλλὰ τὐναντίον. Καὶ πάλιν ἐκώλυσε μὴ κλέπτειν ὐχ' ὅτι ἐπέτρεπε τὴν κλοπὴν, καὶ ἐκώλυεν ἀπέχεσθαι ἀῤῥητοποιίας, ἀντὶ ꙋ ἀπῆγεν ἀπὸ τῆς τοιαύτης πράξεως. i. e. *ſicut prohibuit eum non facere indigna: non dixit: impuliſſe ad aliquid indignum. Dehortatus eſt non offendere amicos, non ut offenderet amicos, ſed contra: Et rurſus, prohibuit non furari, non quod permiſerit furtum: & prohibuit abſtinere infandis factis, pro eo quod eſt, avertit ab ejusmodi actu.* ὕτως καὶ ἐκώλυον ἀπέχεσθαι βρωμάτων, ἀντὶ ꙋ ἐκώλυον ἀπὸ τῆς βρώσεως. i. e. *Ad eum modum prohibuerunt abſtinere cibis: pro, prohibuerunt eis cibos.*

§. 24. *Papiſtarum egregia ingenuorum ſedulitas*, qui eò laborarunt, ut oſtendant Paulum utrumque egiſſe, atque notam hæreticorum poſuiſſe, tum prohibitionem conjugii, tum præceptum de abſtinendo certo ciborum genere. Hinc Coſmas Magalianus agnoſcens ellipſin, ſupplet nomine conſulentium abſtinere à cibis DEI, atque addit: *Hæreticos, prohibentes nuptias, tanquam malas, prævidebat, & quosdam, qui præciperent abſtinendum eſſe ab eſcis, tanquam ex ſua natura communibus & immundis. Quare ex Ambroſio & aliis doctoribus mihi videtur ſententia hujus loci texenda; prohibentium nubere & jubentium abſtinere à cibis, tanquam à rebus impuris. Utrunque præceptum eſt Manichæorum & Tatianorum, quos Encratiſtas vocant. Vid. Auguſtin. ad quod vult DEUM. Adverte Eraſmum in ſua verſione textui verbum addidiſſe, quod in Græco non eſt: nam particulæ: abſtinere à cibis, præfixit genitivum, jubentium, quod nos dicimus ſubaudiri per ellipſin, Græcis juxta & Latinis autoribus uſitatam: quare opus non erat ea additione: Imo ſi reperi-*

tas genitivum, probibentium, adhuc in Græco ſermone nullus eſt error, aut lapſus à venuſtate locutionis, neque Apoſtoli incuria, ſed recte, ut annotavit Oecumenius ad Atticum uſum expreſſus eſt ſermo, ut cum dicitur: ἐκώλυσεν αὐτὸν μὴ ποιεῖν τὰ ἄτοπα; *probibuit eum ne perpetraret abſurda; Non ſignificatur quod ad abſurditatem eum hortatus eſt; ita etiam* ἐκώλυον ἀπέχεσθαι βρωμάτων. *i. e. probibebant abſtinere à cibis, idem eſt atque abſtinere à cibis. Eſt igitur elegantia potius quam imperitia aut incuria, ut quidam volunt, in modo loquendi. Ne, Oecumenius multum eſſe hujus locutionis uſum, etiam apud externos, affirmat. Quid? quod in Græco contextu, inter probibentium nubere, & abſtinere à cibis, non eſt copula, &, ſicut Job. 10. juxta Græcum Codicem ſimpliciter legitur, unum ovile, unus Paſtor: & apud Homerum:* Σῖτον καὶ οἶνον ἔδοντες *id eſt panem & vinum edentes. Quis dubitat in verbo, edentes, per ſynecdochen involvi alterum, nempe, bibentes, quod ad vinum referatur.* Hin. Eſtius addit nomen, præcipientium, Eraſmum ſecutum atque ſubjungit: *Tales exorituros ſenſit Apoſtolus, qui & prohibeant nubere & præcipiant, à c..rtis cibis abſtinere. Hujusmodi phraſin, qua vel contrarium ejus quod præceſſit, vel diverſum aliquid, in poſteriori ſubauditur, etiam alibi in ſcripturis obſervare eſt. ut Pſalm. 120. Per diem ſol non uret te neque luna per noctem. Iacobi 1. Glorietur frater humilis in exaltatione ſua, dives autem in humilitate ſua. 1. Cor. 5. Per fidem ambulamus & non per ſpeciem.* Hinc Cornelius hisce ſubſcribens apertè fatetur eſſe ellipſin atticam, ſupplendam enim vocem κελευόντων i. e. jubentium abſtinere à cibis.

§. 25. *Ipſa denique rei veritas.* Invehi quippe Apoſtolum non in eos qui matrimonium permittunt, ſed prohibent, qui vetant, ſed qui jubent abſtinere à cibis, luce meridiana clarius eſt, ex argumentis in textu ſequentibus: quorſum enim illud: quos DEUS creavit ad participandum? Subjungamus eruditi interpretis obſervationem, qui hanc criſin adhibet. *Senſus vero habet: Probibentium vel impedientium nubere, abſtinendo à cibis &c. quaſi dicat Apoſtolus: Non tantum id quod DEUS vult, nempe ut Epiſcopi ſint mariti,* ψευδολόγοι *illi probibebunt, vel impedient etiam (ita enim* κωλύειν *potius eſt facti impedientis, quam legis prohibentis) ſed utentur etiam ad hoc medio tali, quo adimant hominibus privilegium illud, ſine ulla*

exceptione temporis divinitus conceſſum, de uſu carnium Gen. 9. 3. & quo medio exiſtiment homines conjugium vitare & cælibatum præſtare poſſe, nempe abſtinendo à certis cibis. Ne autem hanc interpretationem, abſtinendo à certis cibis, huic loco affingere, aut ſinè ratione tribuere videar; age fundamenta videamus. Quemadmodum actio vel paſſio Gerundiva, alteri verbo ſubjecta, Finem ſignificans, exprimitur Infinitivo, cum Articulo Neutro Genitivi Caſus, ut Luc. 24. 29. εἰσῆλθε τοῦ μεῖναι σὺν αὐτοῖς *intravit, manendi apud eos cauſa, vel ut maneret cum illis, ſubaudito* ἕνεκα, *quod & expreſſe nonnunquam additur. Sic Luc. 4. 42.* Κατεῖχον αὐτὸν τοῦ μὴ πορεύεσθαι ἀπ' αὐτῶν. *Detinebant eũ non abeundi gratia, vel ne abiret ab ipſis. Sic actio & paſſio Gerundiva, quando Medium vel Modum ſignificat, exprimitur Infinitivo, cum Articulo Neutro Sexti Caſus. Ut Demoſt. Olynth. 2. Philippus Macedo Athenienſes decepit. Quo medio?* τῷ τὴν Ἀμφίπολιν φάσκειν παραδώσειν τῷ φάσκειν *dicendo vel promittendo ſe velle eis tradere Amphipolim: Olynthios illexit. Quo medio?* τῷ τὴν Ποτίδαιαν αὐτοῖς παραδοῦναι *tradendo illis Potidæam: Theſſalos denique decepit, quo modo?* τῷ Μαγνησίαν παραδώσειν ὑποσχέσθαι *promittendo, ſe Magneſiam illis traditurum* τῷ ὑποσχέσθαι *promittendo. Ut autem in ſignificatione Finis, Genitivus Articuli* τοῦ *ſæpe omittitur ut Lucian. Dial. D. 20.* ὥρα ἐστὶν ὑμῖν ἀπιέναι *Tempus eſt vobis abeundi, vel ut abeatis. Sic Heſiod. Theog. 181.* ἔρριψε φέρεσθαι *pro* τοῦ φέρεσθαι ἕνεκα. *Sic etiam in ſignificatione Modi vel Medii, Caſus ſextus Articuli* τῷ *non raro omitti ſolet. Ut Arrianus lib. 1. de Expeditione Alexandri Magni, cum Granicum fluvium cum Exercitu Macedonico equeſtri trajiceret, reſiſtentibus Perſis; Fiebat, inquit,* ὠθισμὸς *mutua colluctatio equorum* τῶν μὲν (Μακεδόνων) ἐκβαίνειν ἐκ τοῦ ποταμοῦ *i. e. Macedonum quidem, egrediendo ex flumine Granico* τῶν δὲ (Περσῶν) εἴργειν τὴν ἔκβασιν *i. e. Perſarum vero probibendo egreſſum pro* τῷ ἐκβαίνειν τῷ εἴργειν *egrediendo; probibendo. Sic & in hoc noſtro loco:* κωλυόντων γαμεῖν *vel* τοὺς γάμους: *quo medio?* ἀπέχεσθαι βρωμάτων *Abſtinendo à cibis; dum abſtinentiam à cibis urgent, tanquam cœlibatus altricem & conſervatricem. Similis eſt ratio Act. 15. 10.* Νῦν οὖν, τί πειράζετε τὸν Θεὸν, ἐπιθεῖναι ζυγὸν ἐπὶ τὸν τράχηλον τῶν μαθητῶν &c. *quid tentatis DEUM, imponendo jugum &c. Quo ſenſu & Lutherus,*
Mit aufflegen deß Jochs ꝛc.

Se.

§. 26. Secunda exceptio multis quoque laborat modis: *tum*, quia ſatis eſt, quod prohibeant nuptias, quas prohibere eſt doctrinam diabolicam profiteri, oppoſitam illi doctrinæ, quam propoſuerat *1. Tim.3. v 2.* jus divinum improbare, libertatem ex creatione infringere, quicquid ſit de cauſis, finibus vel prætextibus hujus prohibitionis: *tum*, quia rationes, quas adducunt Pontificii ἀναλόγως quoque militant contra conjugium Laicorum. Si enim ex natura, qualitate & conditione oblationis mundæ, ſacerdoti interdictum eſt conjugiũ, cum & Làicis incũbat, utpote ſacerdotib⁹ ſpiritualib⁹ offerre munda ſacrificia DEO, ex eadem cauſa intelligitur, iis adeoque abſolutè eſſe interdictum, quod ipſum apertius deprehendere datur ex diſt.82. canon. propoſuiſti: *Quid de his obſervari debeat, quos in diaconiæ miniſterio, aut in officio presbyterii poſitos incontinentes eſſe aut fuiſſe generati filii prodiderunt. De his & divinarum legum manifeſta eſt diſciplina, & beatæ recordationis viri Syricii Epiſcopi monita evidentia commearunt, ut incontinentes in officiis talibus poſiti, omni eccleſiaſtico honore privarentur, nec admittantur ad tale miniſterium, quod ſola continentia oportet impleri. Eſt enim vetus admodum ſacræ legis autoritas, jam inde ab initio cuſtodita, quod in templo, anno vicis ſuæ, habitare præcepti ſunt ſacerdotes, ut ſervientes ſacris oblationibus puros, & ab omni labe purgatos ſibi vindicent divina miniſteria, neque eos ad ſacra officia fas ſit admitti, qui exercent vel cum uxore carnale conſortium, quia ſcriptum eſt: (Sancti eſtote, quia & ego ſanctus ſum Dominus DEUS veſter.) Quibus utiq; propter ſobolis ſucceſſionem uxoris uſus fuerat relaxatus: quia ex alia tribu, & præterquã ex ſemine Aaron ad ſacerdotiũ nullus fuerat præceptus accedere. Quo magis hi ſacerdotes vel levitæ pudicitiam ex die ordinationis ſuæ ſervare debent, quibus vel ſacerdotium vel miniſterium ſine ſucceſſione eſt, nec præterit dies, qua vel à ſacrificiis divinis, vel baptiſmatis officio vacent. Nam ſi B. Paulus Apoſtolus ad Corinthios ſcribit, dicens: Abſtinete vos ad tempus, ut vacetis orationi, & hoc utique laicis præcepit, multo magis ſacerdotes, quibus & orandi, & ſacrificandi, juge officium eſt, ſemper debebunt ab hujusmodi conſortio abſtinere, qui ſi contaminatus fuerit carnali concupiſcentia, quo pudore vel ſacrificia uſurpabit, aut qua conſcientia, quove merito exaudiri ſe credit, cum dictum ſit (omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil mundum?) &c.*

Tùm, quia fines illi quos ex hac prohibitione deducunt planè ſunt ſpurii, aliis mediis refrenandæ concupiſcentiæ, & antiquis exercitiis in Scriptura præſcriptis. Veteres autem hæreticos notare Paulum, non Pontificios, frigidè & ſine fundamento dicitur.

§. 27. Non melioris conditionis ſunt rationes adductæ. *Prima* non colligit, quia *nec* probari poteſt, omnes hæreticos impugnaſſe creaturarum quarundam bonitatem formalem, *nec* verba Apoſtolica præciſè ad illam reſtringenda eſſe evidenter patet, cum DEus etiam creaturas condiderit in bonum finem: ut intuitu illius prohibitio locum quoque habere nequeat. Et eſt manifeſta ſeries. Nam id quod ſequitur: *Quod DEVS creavit ad participandum*: Argumentum eſt Apoſtolicum contra eam aſſertionem. Cajetanus: *Contra præceptum abſtinentiæ à cibis, affert Paulus rationem ex inſtitutione divina.* Thomas: *improbat Apoſtolus hanc erroneam doctrinam duplicitèr, ſcilicet ex intentione DEI creantis cibos, ſecundo, ex conditione creaturæ.* Qua ſerie nihil foret ineptius, ſi ſpiritus illi intelligendi eſſent, prohibuiſſe abſtinentiam: quorum ſic partes confirmarentur potius. Nec denique evinci datur, illud de creatione proponi in ratione cauſæ aut indicii adverſæ ſententiæ, ita ut ex hac impugnet hæreticos, ſtatuentes conjugium & cibos eſſe à Diabolo, cum ſatis appareat urgeri, & rationem præſcindendo à ſententia hæreticorum, quaſi docerent cibos & conjugia eſſe à Diabolo, oppoſitè ad productionem Numinis, non quid hæretici doceant, & quouſque progrediantur; ſed quid concludendum ſit, ſimpliciter hoc medio ſubminiſtrat.

§. 28. *Altera partim* non concludit, quia non eſt conſequens, Patres illos notant, qui carnes immundas putant & earum creatorem DEUM eſſe negant. Ergo alios ex alia cauſa & vitio hic cespitantes excludunt, aut abſolvunt. *Partim*, quia Pontificii quoque quandoque ad hunc ſcopulum impingunt. Videatur Durand. *lib. 6. ration. divin. offic. 17. De jejunio itaque XL. Greg: ita dicit: Par autem eſt, ut quia his diebus à carne animalium abſtinemus: ab omnibus quoque quæ ſementinam trahunt originem carnis jejunemus à lacte, videlicet caſeo & ovis.* Et aliquanto poſt idem ponit Durandus: *Sed cum piſces ſint caro, quare hoc tempore comedunt? Reſponſ. DEVS non maledixit aquis, quoniam per aquam baptiſmi*

tura

tura erat remiſſio peccatorum: hoc enim elementum digniſſimum eſt, quod ſordes abluit, & ſuper quod ſpiritus Domini ante mundi conſtitutionem ferebatur: terra vero maledixit in operibus hominis. Inde eſt quod omne genus carnis, quod in terra verſatur, tam quadrupedia, quam aves in jejuniis non licet comedere. Et licet quædam aves circa mare verſentur & in aquis, quædam in eis vel ex eisdem naſcantur: magis tamen ad naturam terræ, à qua nutrimentum percipiunt, quo ad hoc pertinere dicunt. Adbuc quum quædam piſces ſint habentes ex una parte formam quadrupedis animalis, & ex altera piſcis, biverus in jejuniis poteſt comedi ex parte, qua piſcis videtur, ex alia vero minime, &c. *Partim*, quia contrarium oſtendi poteſt ex Patribus. Aperte Oecumenius: διὰ τούτων πᾶσαν αἵρεσιν ἐδήλωσε, μάλιστα δὲ Μανιχαίους, Ἐγκρατιστὰς, Μαρκιωνιστὰς: id eſt, *Per hæc omnem hæreſin ſignificavit, maxime vero Manichæos, Encratiſtas, Marcioniſtas.* Chryſoſtomus: παραφράζει μὴ θαυμάσῃς τοίνυν, εἰ νῦν ὅτε τὴν ἀρχὴν ἔχει τὰ τῆς πίστεως. Ταῦτα τινὲς ἐπιχειροῦσι παρεισφέρειν τὰ ὀλέθρια δόγματα, ὅτι ὅταν παγῇ μετὰ χρόνον πολὺν, ἀποστήσονταί τινες τῆς πίστεως: i. e. *ne mirare, ſi nunc, cum initium accipit fides, hæc nonnulli audent introducere pernicioſa dogmata, quandoquidem poſtquam firmata fuerit longo poſt tempore diſceſſuri ſunt aliqui de fide.* Athanaſius: *contra Arian. diſp.1.* Ἐὰν δὲ τολμήσαντες τὰ Ἀρείου γράψωσιν ὁρῶντες αὐτοὺς εὐοδουμένους καὶ εὐθηνουμένους οὐδὲν ἐστὶ λοιπὸν ἢ πολλῇ παῤῥησίᾳ χρήσασθαι, μνημονεύοντας τῶν Ἀποστολικῶν προῤῥήσεων, ἃς διὰ τὰς τοιαύτας αἱρέσεις προμηνύων ἔγραψε: h. e. *Quod ſi auſint Ariana ſcribere, conſpecta eorum proſperitate, nihil ſupereſt, niſi ut confidenter meminerimus Apoſtolicarum prædictionum quas harum hæreſium cauſa ſcriptas reliquit. Et diſp. 2.* τὸ δὲ μὴ ἐκ πατέρων, ἀλλὰ νῦν ἐφευρεθὲν, τί ἂν εἴη ἕτερον, ἢ περὶ οὗ προείρηκεν ὁ Μακάριος Παῦλος ἐν ὑστέροις καιροῖς ἀποστήσονταί τινες τῆς ἰδίας πίστεως τῆς ὑγιαινούσης, προσέχοντες πνεύμασι πλάνης, καὶ διδασκαλίαις δαιμόνων ἀποστρεφόμενοι τὴν ἀλήθειαν: i.e. *Quod non eſt à Patribus, ſed nunc inventum, quid aliud ſit, quam id quod prædixit B. Paulus: in poſterioribus temporibus deficient quidam à propria fide, quæ eadem ſana eſt, attendentes ſpiritibus errantibus & doctrinis dæmoniorum averſantes veritatem.*

§. 29. Tertia tandem claudicat, quia non eſt conſequens. Paulus perſtringit hæreſin Encratitarum, ergo non Pontificiorum, eaſdem

dem pænè tibias inſtantium, prout conſequens non eſt: Quid m Patrum dixerunt notari Marcionitas & Encratitas non itaque notati fuêre Manichæi, quos Auguſtinus demum illis junxit, quia ex qua cauſa illi hæretici reprehenſi intelliguntur, ex eadem Pontificii moderni arguuntur. Improbant enim conjugium ex actu defectus ſpiritualium exercitiorum pœnitentiæ ſcilicet & orationis & ſimilium. Annon id autem quoque hodie in Papatu contingit. Auguſtinum ſi conſulas *libr. de morib. Manichaeor. cap 28.* deprehendes illos non promiſcue nuptias ex cauſa ſimpliciter tali prohibuiſſe; ſed permiſiſſe auditoribus ſuis prohibitione directa ſolum ad electos ſuos, qui, quod in Papatu Clerici, erant Manichæis, ſcilicet præ cæteris religioſi, quia qui generaliter loquitur, niſi vel è textu vel parallelo loco appareat reſtrictio, neceſſariò generaliter quoque intelligendus eſt, atque de omnibus ſubjectis ſub univerſali phraſi accipiendus.

§. 30. Tertia & ultimi conatus vis non ſublevat Pontificios, aut ab Apoſtolico fulmine excipit. Effugium enim illud refutat praxis & lex Eccleſiaſtica. Ut enim ſi princeps Legem ferret, ne quis eſſet conjugatus, qui vellet in ipſius miniſterio vivere, cenſeretur prohibuiſſe matrimonium ſuis miniſtris; ita cum Eccleſia, juxta Pontificios, hanc legem tulerit, cenſetur utique presbyteris & aliis Eccleſiaſticis perſonis prohibuiſſe. Refutat exemplum ab ipſo Bellarmino adductum, pro autoritate quippe prohibens judicia forenſia Eccleſiaſticis, utique prohibet illa ab Eccleſiaſticis fieri. Refutat triga rationum in medium adducta Vaſquez ita differens: *Reſpondet Bellarminus cap. 20. neminem cogi ab Eccleſia, ut ſervet caſtitatem; ſed ſolum ab eo qui vult ordinari, eam conditionem requirere, ut votum caſtitatis emittat: ſicut etiam Eccleſia non ſimpliciter prohibet judicia forenſia, quæ quiſque jure divino libere poſſet exercere, ſed requirit hanc conditionem ab eo, qui ad ordines promoveri deſiderat. Verum cum hanc conditionem poſtulare, ſit deinde prohibere ordinato id, quod ei antea liberum erat, non videtur omnino hoc modo argumento ſatisfieri. Adde, quod non alio modo liberum erat, jure divino & naturali, unicuique contrahere matrimonium, & eo uti, quam erat liberum edere quacunque hora diei, & quibuscunque cibis veſci, & tamen Eccleſia ſimpliciter prohibuit certis anni temporibus veſci quibusvis cibis, & quavis hora*

hora comedere, neque id ſolum præcipit, poſtulans ut conditionem in baptiſmo, ſiquidem à parvulis, cum baptizantur, eam poſtulare non potuit. Accedit, quòd niſi explicemus, quale ſit jus quod quiſque habere dicitur ad matrimonium contrahendum, ſatisfieri plane non poterit, ut inferius videbimus.

§. 31. Subjicere libet *ex Synodi Gangrenſis canon. 4.* Εἴτις διακρίνοιτο παρὰ πρεσβυτέρου γεγαμηκότος, ὡς μὴ χρῆναι λειτουργήσαντος αὐτοῦ προσφορᾶς μεταλαμβάνειν, ἀνάθεμα ἔστω: i.e. *Si quis ſeparatur, (ſegregat ſe) à presbytero conjugato, quaſi non oporteat eo miniſtrante, de oblatione percipere, anathema eſto.* Ecce anathema dictum iis, qui conjugium presbyterorum rejiciunt, aut uxoratos ſacro miniſterio indignos prædicant.

CAPUT III.

§ I. Vidimus argumenta veritatis: reſtant brevibus expedienda contraria. Nolumus autem vel omnia movere, vel prolixi eſſe in ſingulis excutiendis. Primum petunt, *à conditione ſacertum Vet. Teſt.* de quibus videri poteſt præprimis locus *Exod. 19. v. 22.*

וְגַם הַכֹּהֲנִים הַנִּגָּשִׁים אֶל־יְהוָה יִתְקַדָּשׁוּ פֶּן־יִפְרֹץ בָּהֶם יְהוָה׃

Et etiam ſacerdotes, qui accedunt ad Dominum ſanctificabunt ſe, ne forte diviſionem faciat in eis Dominus. Alterum, *à deſcriptione Epiſcopi* in epiſt. ad Titum *c. 1. v. 8. Oportet Epiſcopum eſſe* φιλόξενον, φιλάγαθον, σώφρονα, δίκαιον, ὅσιον, ἐγκρατῆ, *hoſpitalem, benignum, ſobrium, juſtum, ſanctum, continentem.* Tertium, quod ipſis videtur præ reliquis validum, *ab exemplo Apoſtolorum, & quidem ſpeciatim Apoſtoli Pauli,* qui diſertè *1. Corinth. 7. v. 7.* θέλω γὰρ πάντας ἀνθρώπους εἶναι ὡς καὶ ἐμαυτόν: i. e. *Volo enim omnes homines eſſe ſicut & meipſum.* Quid in receſſu hæc habeant, juvat paucis examinare.

§. 2. Prima ratio projectâ eſt vilior algâ. Stante quippe illa conſequens foret, non ſacerdotes tantum prohiberi conjugio; ſed & quosvis Chriſtianos, quod oppidò abſurdum. Stante illa abſtinendum quoque eſſet ſordidis monachis, presbyteris & ſacerdotibus ab impuritate veſtium, à ſorditate capucii & tunicæ, quod experientia refutat: Stante illâ, conſequens eſſet ſacerdotes vel debere vel ad minimum poſſe ordinariè eſſe conjugatos, quod pontificia tyrannis non permittit, quia non ſolis ſacerdotibus; ſed & toti populo illa

præparatio per abſtinentiam fuit injuncta *verſ. 15.* quia ceſſatio ζυνουσίας conjugatis & veſtium lotio conjunguntur: quia præceptum fuit extraordinarium ad triduum reſtrictum, ex cauſa ſingulari & extraordinaria Majeſtaticâ ſcilicet apparitione DEI in monte Sinai, quod ſuppoſuit eo ipſo, quo abſtinentiam exegit uſus, ordinarium conjugium in ſacerdotibus, illiusq; uſum, & ordinarium in reliquo populo, non juſſo abſtinere ſe ad tempus, niſi ſuppoſito uſu divinitus probato. Quid? quod negari poſſit de ſacerdotibus eſſe ſermonem etiam *verſ. 22.* juxta eruditos quosdam interpretes. Videatur *Theologus Setabitanus ad h. l.* Secundo præpoſterè in ſcenam adducitur, quod exſpiravit in & cum V. T. ubi enim quæſo in novo teſtamento hoc ipſum fuit præceptum, repetitum, ſacerdotibusque imperatum? cum ne quidem in Veteri poſſit mandatum ordini ſacro latum oſtendi: neque illa abſtinentia temporaria cœlibatum ſacerdotum N. T. figuravit; ſed immunditiem peccaminoſam ſingulis inhærentem, ut aliæ etiam purificationes legales, & imperfectionem ex parte hominis, & ſanctitatem ex parte DEI ſummam oſtendebant, ad quem nec accedendum niſi præmiſſa purificatione & præparatione cordis. Impoſſibile etiam eſt Pontificiis docere ζυνουσίαν conjugalem, ut ſic, habuiſſe rationem impuritatis ſaltem typicæ; ſed ut aliis noſtris actibus quandoque peculiare adhæret μίασμα; ita impuritas legalis vel typica potuit ineſſe actui conjugali, ex qualitate perſonæ, aut circumſtantiæ cujusdam, quæ hic ſatis multæ, ut exin legaliter immundus factus fuerit cohabitans, ut quidam colligunt ex *1. Sam. 21. v. 6. & 7.* Tertio non ſuffulcit hoc argumentum locus *1. Paral. 24. v. 3.* quia poſito, abſtinentiam illis fuiſſe neceſſariam, temporaria illa fuit, ſcilicet per vices ſacris inſervientibus: quia interdictum illis quoque ne fundos poſſideant, anne illud quoque obtinebit in ordine ſacro N. T? quia inſuper falſum etiam tunc quando vices ſuas obibant caruiſſe uxoribus, & illas vel non una ductas eſſe Hieroſolyma, ſi extra illa in pagis habitarent: aut ſi intra metropolim habitarent, juſſos fuiſſe, ex ratione ſacrorum obeundorũ, illis abſtinere.

§. 3. Altera ratio vertiginem Pontificiorum prodit. Si enim continentia illa, quam Pontificii urgent, fuit tum temporis inter requi[illegible] miniſtri neceſſaria ſacerdoti, qui Arboreus potuit admittere tempo[illegible] Apoſtolorum conjugium in uſu fuiſſe ſacerdotibus, prohibitum autem

tem

tem demum ſubſequentibus temporibus & ſcribere? *Conſuetudo illa, ſecundum quam permiſſum erat, ut alligatus matrimonio promoveretur ad ſacerdotium invaluit usq; ad tempora Nicani Concilii, in quo, ut fertur, generali decreto ſtatutum eſt, ne aliquis uxorem habens, conſecretur ſacerdos.* Qui non Iuris erit divini imò Eccleſiaſticæ ſaltem conſtitutionis? qui non pugnabit ſecum ipſe Paulus, aliud ſcribens ad Timotheum, aliud ad Titum? Præterea quis fecit Pontificiis licentiam exponendi σώφρονα caſtum, quod longe latius patet, docente ipſo Apoſtolo *c.2. hujus epiſt.v.5. & 12.*? Quis ἐγκρατῆ continentem ſcilicet extra matrimonium? quis neſcit dari quoque caſtitatem conjugalem, & vitia eidem oppoſita de qua *1.Tim.2.v.15.*? quis neſcit dari continentiam in ipſo quoque matrimonio? annon legeruntillud Epiphanii in Ancorato: Ἐνὼχ οὐκ ἦν παρθένος ἀλλ' ἐγκρατής: i. e. *non erat virgo Enoch, ſed tamen continens.* Annon illud Chryſoſtom. ἐγκρατῆ. οὐ τὸν νηστευτὴν εἶπεν ἐνταῦθα ἀλλὰ τὸν πάθους κρατοῦντα καὶ γλώττης καὶ χειρὸς καὶ ὀφθαλμῶν ἀκολάστων τοῦτο γάρ ἐστιν ἐγκράτεια τὸ μηδὲν ὑποσύρεσθαι πάθει: Adde ipſos Pontificios noſtras partes agentes. Coſmas Magalianus ita commentatur: ἐγκρατῆ: i. e. *temperantem, quod vocabulum, ut ait Hieronymus, quidam haud rectè ad ſolam referunt libidinem, cum ad omnes pertineat affectus; iram, avaritiam, ambitionem, invidiam, timorem, ut omnibus his ſuperior ſit Epiſcopus: omne id ab Apoſtolo animadverſum eſt, non poſſe proſpicere aliis, qui ipſe ſit obnoxius affectibus, pacem animi turbantibus.* Cornelius à Lapide *continentem, de abſtinenti à gula, luxuria & omnibus vitiis animi* exponit, *adducens exemplum Martini, Turonenſis Epiſcopi, de quo Sulpitius Severus: Nemo unquam Martinum vidit iratum, nemo mœrentem, nemo ridentem: unus idemque ſemper cœleſtem quodamodo lætitiã vultu præferens, extra naturam hominis videbatur. Tantam adverſus omnes injurias patientiam aſſumſerat, ut cum eſſet ſummus ſacerdos, impunè etiam ab infimis Clericis læderetur: nec propter id eos aut loco unquam amoverit, aut à ſua charitate repulerit. Nunquam in illius ore, niſi Chriſtus: nunquam in illius corde niſi pietas, niſi pax, niſi miſericordia inerat. Plerumque etiam pro eorum, qui obtrectatores illius videbantur ſolebat flere peccatis. Hinc non tantum vivens; ſed & moriens invictum ab oratione ſpiritum non relaxabat &c.* Guilielmus Eſtius ἐγκρατῆ verti temperantem à quibusdam oſtendit,

 atque

atque addit. *Hieronymus abſtinentiam legit, ut is ſignificetur, qui cupiditates refrenat eas potiſſimum, quæ ſunt à libidine & gula. Hæc fructus, in numero fructuum ſpiritus, quos ad Galatas Sanctus Paulus enumerat, extrema eſt.*

§. 4. Ultima accuratius examen poſcit, cum videatur potius pro nobis quam contra nos militare: Teſtem laudamus Paulum, qui aperte 1. Cor. 9. v. 5. Μὴ οὐκ ἔχομεν ἐξουσίαν ἀδελφὴν γυναῖκα περιάγειν ὡς καὶ οἱ λοιποὶ Ἀπόστολοι καὶ οἱ ἀδελφοὶ τοῦ κυρίου, καὶ Κηφᾶς. *Nunquid non habemus poteſtatem ſororem mulierem circumducendi, ſicut & cæteri Apoſtoli, & fratres Domini & Cephas.* Ex Patribus Ambroſium, Chryſoſtomum & Clementem 7. *ſtromat.* cujus verba ſic habent: Φασὶ τὸν μακάριον Πέτρον θεασάμενον τὴν αὐτοῦ γυναῖκα ἀγομένην ἐπὶ θάνατον *i. e. Ajunt Beatum Petrum cum vidiſſet uxorem ſuam duci ad mortem.* Ipſos denique Pontificios, Petro Petronillam filiam in Apoſtolatu genitam tribuentes; eamque in catalogum ſanctarum referentes de qua Martyrologium Rom. *ad 31. Maji* hæc habet: *Romæ, ſancta Petronilla virginis, filia B. Petri Apoſtoli, quæ Flacci nobilis viri conjugium ſpernens, acceptis triduanis ad deliberandum induciis, ac orationibus vacans, tertia die, mox ut Chriſti ſacramentum accepit, emiſit Spiritum.* Zacharias vero Lippelous; *vit. ſanct. tom. 2. ad eundem diem p. 757. Interim cum forma ejus præſtantia eſſet eximia, multique inſano capti amore eam deperirent, Flaccus Comes conjugem eam ſibi poſtulavit: armataque manu ni ſponte conſentiret eam abripere voluit, cui virgo: Quid, inquit, ad virginem inermem cum militibus venis. Me ſi tibi uxorem depoſcis, honeſtas potius virgines matronasque poſt triduum ad me mittito, ut earum comitata obſequio, cum honore tuas ad ædes ſponte veniam. Hoc dicto gaviſus vehementer Flaccus triduum ei conceſſit, quo toto Petronilla precibus & jejuniis, cum Fœlicula virgine collectanea intenta divinam aſſiduo opem flagitabat. Tertio vero die, Nicomedes presbyter eam inviſens, divina ibidem celebravit myſteria, eamq; ſacro-ſancto Chriſti corpore & ſanguine refecit: & ecce ſumpto epulo illo cœleſti, mox beatum creatori ſuo ſpiritum tradidit corpus ejus honorifice ſepultura mandatum, conſtructo deſuper nobili cæmeterio, anniverſarii natalis ejus commemoratione illuſtratum fuit. Inde vero è dicto cæmeterio ad baſilicam vaticinam tranſlatum, honorificentiſſime aſſervatur.*

§. 5. Sed

§. 5. Sed ut ad exemplum Pauli, locumq; ex 1. Cor. 7. allegatum deveniamus: Notamus falſo nobis tribui ſententiam Ebionæorum mentientiũ: Paulum Hieroſolymam profectum, adamaſſe filiam ſacerdotis & ut illam in uxorem obtineret, ad Iudæorum religionem tranſiiſſe atque ita Proſelytum factum circumciſionem ſuſcepiſſe, cum vero uxorem, quam ſibi quærebat, non fuiſſet conſecutus, ira concitatum contra Sabbathum & circumciſionem, ac veterem legem apoſtatando, multa docuiſſe & ſcripſiſſe. Vt calumniatur Recinetenſis Theologus in Lutherum, Calvinum & Petrum Martyrem.

§. 6. II. Verba Apoſtoli, ſuperius adducta, nihil facere pro cœlibatu, quia non concepta per modum imperii, aut præcepti, ſed voti ſed velleitatis: quia eo ipſo quo hoc ſimpliciter optavit, ob incontinentiæ periculum non tam poſſibile factu, quam optabile affectu inſinuavit Apoſtolus: Ea quippe optare ſolemus ſæpius, quæ quidem commoda ſi obtineri poſſent votis; ſed impetratu non tam facilia, imò nunquam quandoq; impetranda. Non itaque urget, ſed quia fieri hoc non poſſit regulariter, optat tantum; quia apertè addit; *Sed unusquisque proprium donum habet à DEO, alius quidem ſic, alias vero ſit.* Quidni hic parodia utamur Magaliana: *Nunquid qui aurum antefert argento, pretium argento adimit? Qui ergo poteſt virginitatis aurum retineat, ſi vero non poſſit iſthuc matrimonii recipiat argentum.*

§. 7. III. Quosdam ex ſequenti verſiculo concluſiſſe, Apoſtolum fuiſſe conjugatum, pro illo tempore autem viduum, quia alias viduis non potuiſſet ſeſe proponere in exemplum, quia quando mortua fuerit uxor Pauli non conſtet, & mortuam eſſe quaſi repentino interitu, ſtatim atq; ipſe Chriſtum acceſſit, non appareat veroſimile, habuiſſe itaque illam adhuc Apoſtolum aliquandiu, & cum illa caruit, magis ex neceſſitate quam voluntate caruiſſe: quam ipſe neceſſitatem, proper continentiam verterit ſibi in virtutem, aliis communiter tanta virtute deſtitutis, facultatem fuiſſe, ut ſi non contineant, nubant. Addunt locum ſupra allegatum ex 1. Corinth. 9. v 5. Et tandem producunt ex cap 4. ad Philip. verſic. 3. qui in originali ita legitur: Ἐρωτῶ καὶ σὲ, σύζυγε γνήσιε, συλλαμβάνου αὐταῖς αἵτινες ἐν τῷ Εὐαγγελίῳ συνήθλησάν μοι, μετὰ καὶ Κλήμεντος καὶ τῶν λοιπῶν συνεργῶν μου ὧν τὰ ὀνόματα ἐν βίβλῳ ζωῆς *id eſt. Etiam rogo & te germane compar adjuva illas, quæ in Evangelio mecum laboraverunt cum & Clemente & cæteris adjutoribus, quorum nomina ſunt in libro vitæ.* Hinc Cajetanus, magnũ inter Pontificios nomẽ, non abhorruit ab illa ſententia, hæc textui ſubjiciens: *Diſputare hic: an Paulus habuerit uxorem ſuperfluum duxi, cum ex aliis locũ Epiſtolarum ejus nihil certi habeam. Et hic locus videtur cogere, non ratione demonſtrativa; ſed ſenſu valde rationabili, quod Paulus habuerit uxorem. Quod non ſolum multi Græcorum in dubium vocarunt; ſed etiam ſi epiſtolis Ignatii datur fides, affirmarunt.* Hinc Ambroſius Catharinus ad hæc verba: *Extare de conjugio Pauli expreſſam revelationem Brigida Suevæ annotat & concludit: Videri ſibi probabile, Paulum in adoleſcentia uxorem duxiſſe, quia moris erat apud Ebræos, tempeſtivè filiis uxores dare: tamen in domum ſuam illam non traduxiſſe, nec unquam noviſſe, quod hoc differri aliquando ſoleret, apud Iudæos, & interim ad Chriſtum vocatum, ſponſam ſuam intactam reliquiſſe.*

§. 8. Pri-

§. 8. Primus autem locus adductus rem in ſuſpenſo relinquit, quanquam commode poſſit ita accipi, ut Apoſtolus uxoratus optet, omnes dono continentiæ gaudere, ad ipſius exemplum, ſcil. tali, quæ conſiſtebat in ceſſatione uſus, vel omnimoda, vel minus frequenti, ob inſtantem neceſſitatem, & perſecutionum ingraveſcentium vim, nec non itinerum ſuſcipiendorum rationem, evangeliique ſtrenuam propagationem, non vero in ſolutione vinculi, quo ſemel adſtrictus, vel abſtinentia omnimoda à conjugio, quæ inter Iudæos, qualis erat Apoſtolus, nunquam obtinuit.

§. 9. Alter vero ad minimum poteſtatem ſtabilit: quanquam & hic veſtigium quoddam compareat ipſius ſtatus. Loquitur enim comparatè ad reliquos Apoſtolos, uxores ductas circumducentes: opponit itaque ſeſe illis, non in carentia uxoris ductæ; ſed in abſtinentia circumductionis atque hoc velle videtur: Num non etiam nos poteſtatem habemus uxorem, quam domi reliquimus circumducendi, atque ab eccleſiis pro illa alimenta depoſcendi, quemadmodum reliqui, qui jure ſuo utentes, nemini injuriam faciunt.

§. 10. Tertius denique locus movit Eraſmum, ut de conjuge Pauli acciperet; qui omnino videndus, quanquam non negemus eſſe, quæ eidem obſtare videantur, quæ & Velaſquez & alii noverunt, de quibus forſan in conſ[...]

§. 11. Hoc dicimus, probabile eſſe Paulum fuiſſe uxoratum, etiam antiquitatem piam conſulendo, adeò ut ipſe Recinetenſis fateatur, eſſe illam piam atque plauſibilem opinionem etiam Salmeroni non ingratam, quæ conjugium Pauli adſtruere nititur. Movet autem nos, juxta præmiſſa, evidens locus, ex Clemente Alexandrino, qui libro tertio contra eos diſputans, qui nuptias reprobabant, ſic ai. *Num Apoſtolo ſunt improbaturi? Petrus enim & Philippus filios procrearunt. Philippus filias collocavit in matrimonium. Paulus etiam non veretur, in quadam Epiſtola, ſuam appellare conjugem, quam non circumducebat, quod non magno ei opus eſſet miniſterio. Dixit enim in quadam Epiſtola: Nunquid non habemus poteſtatem, ſororem mulierem circumducendi, ſicut & reliqui Apoſtoli? Sed hi quidem ut erat conſentaneum miniſterio, quod divelli non poterat, prædicationi, ſcilicet, attendentes; non ut uxores; ſed ut ſorores circumducebant mulieres, quæ unà miniſtraturæ eſſent apud mulieres, quæ domos cuſtodiebant: per quas etiam in gynecæum abſque ulla reprehenſione vel etiam ſuſpicione ingredi poſſet doctrina Domini.* Hæc ipſa verba in eandem ſententiam ex Clemente retulit Euſebius Cæſarienſis *l.* 3. *hiſt. c.* 24. & ex his Nicephorus Calliſtus. *l.* 1. *hiſt. c.* 44. qui ita ſcribit: *Paulus quoq; non veretur, in epiſtola quadam comparem ſuam ſalutatione compellare, quam quidem ille propterea ſecum non circumduxit ut facilius et expeditiusque obiret verbi miniſterium.*

§. 12. Omnibus autem his prævalet apud nos genuinum antiquiſſimi Ignatii Martyris martyrium, quod ita conceptum: ὀναίμην ὑμῶν τῆς ἁγιωσύνης ὡς Ἠλία, ὡς Ἰησοῦ τοῦ Ναυῆ, ὡς Ἐλισσαίου, ὡς Μελχισεδὲκ, ὡς Ἱερεμίου, ὡς τοῦ βαπτιστοῦ Ἰωάννου, ὡς τοῦ ἠγαπημένου μαθητοῦ, ὡς Τιμοθέου, ὡς Τίτου, ὡς Εὐοδίου, ὡς Κλήμεντος, τῶν ἐν ἁγνείᾳ ἐξελθόντων τὸν βίον· οὐ ψέγων τοὺς λοιποὺς μακαρίους, ὅτι γάμοις προσωμίλησαν, τούτων ἐμνήσθην. ἄρτι εὔχομαι γὰρ ἄξιος θεοῦ εὑρεθεὶς, πρὸς τοῖς ἴχνεσιν αὐτῶν εὑρεθῆναι ἐν τῇ βασιλείᾳ ὡς Ἀβραὰμ καὶ Ἰσαὰκ, καὶ Ἰακὼβ, ὡς Ἰωσὴφ, [καὶ] Ἠσαΐου καὶ τῶν ἄλλων

προφητῶν, ὡς Πέτρου καὶ Παύλου καὶ τῶν ἄλλων ἀποςόλων τῶν γάμοις προσομιλησάντων *i.e. Vtinam fruar veſtra ſanctimonia, ut Ieſu filii Nave, ut Melchiſedec, ut Heliſai, ut Ieremiæ, ut Baptiſta Iohannis, ut Timothei, ut Titi, ut Evodis, ut Clementis, qui in caſtitate exegerunt hanc vitam: non quod vituperem reliquos quod rei uxoriæ ſe dederint, horum tantummodo memini. Opto enim ut dignus ſim in regno cœlorum ad horum pedes inveniri, ut Abrahæ, Iſaaci, Iacob, ut Ioſeph, Iſaiæ & aliorum Prophetarum & Petri & Pauli & aliorum Apoſtol. qui nuptiis operam dederunt.*

§. 13. Sudes eſt in oculis Pontificiorum hoc egregium Martyris & Epiſcopi Antiocheni teſtimonium, ideoque varia cauſſantur. Baronius anno 57. vocem Pauli ſuppoſitam eſſe cenſet, cum quo facit Bellarminus objectans Codicem Vaticanũ in ipſo nomen Pauli non comparere. Redarguit autem & Cæſarem & Robertum ſocium, ſtructura textus, cum cœlibatus commendationem præmittens, Ignatius Paulum omiſerit, Timothei vero nomen expreſſerit. Motellius Pariſienſis typographus, qui non ſpuriam; ſed genuinam noſtram lectionem agnovit, ipſe deniq; Cæſar manus vinctas dedens, qui reformatis tribuit hanc corruptionem, mox verſa navi, ad Græcos ſe confert, & illos, qui uxores cum ſacerdotio retineant, ejus criminis reos peragere conatur. Gabriel Vaſquez vero tom. 3. in tert. diſput. 249. c. 8. provocat ad amelium, qui referat ex Richardo Malleo Anglo, in codice quodam pervetuſto Oxonienſi, non fuiſſe Paulum inter conjugatos numeratum ab Ignatio. At contrarium teſtatur, Thomas Iameſius de exemplari anglicano, quod extat, atque etiamnũ videtur, in bibliotheca collegii Balliolenſis, apud Oxonienſes, cujus verba ex anglico idiomate translata *lib. de corruptelis Scripturæ conciliorum, Patrum, parte ſecunda corrupt.* 13. *Manuſcriptum id excurrere,* ait 700. *aut* 800. *annos, & Papiſtam quendam aut alium eraſiſſe vocem Pauli ac locum reliquiſſe vacuum, ſed fraudem protinus deprehendi, ubi membrana luci opponatur: tum enim evidentiſſime apparere literas ac vocem Pauli: Addit ex eadem hac Ignatii ſententia eraſam ſimiliter eſſe, in Codice illo, vocem Apoſtoli, ubi dicitur à Patre & ALII APOSTOLI.*

§. 14. Alii, inter quos Claudius Eſpencæus, Ignatio Tertullianum opponunt *l. 8. de monog.* ſoli Petro uxorem adſcribentem. At ſufficienter retundit hanc recalcitrationem Editor epiſtolarum concludens. *Quantum falſus fuerit (Tertullianus) cum negat in Scriptura reperiri quenquam alium Apoſtolum in conjugio vixiſſe præterquam Petrum; nec non quam Hieronymus adverſ. Iovin. lib. 1. fuerit deceptus. qui idem aſſerit; id vero ex memorato loco Apoſtoli (1. Cor. 9. 5.) & præſentibus verbis Ignatii patet; ubi non ſolum Cepha, ſed & alii Apoſtoli, fratres Domini, nominantur.*

§. 15. Quam etiam debile ſit argumentum quo Cæſar num. 69. & ex hoc Recinetenſis probare conantur Paulum cœlibem fuiſſe, quia Phariſæus fuerit & quidem ex rigidioribus patet, id enim *partim* inconſequens *partim* falſum eſt.

§. 16. *Inconſequens*, quia & alii Phariſæi fuerunt, & tamen in conjugio vixerunt; Paulus non ſolum Phariſæus fuit; ſed etiam Phariſæi filius. *Act* 23. v. 6. Et quod ipſe ex Epiphan. *hær.* 16. citat, ut oſtendat Phariſæos à nuptiis abſtinuiſſe alios octo, alios decem annos; id vero & ipſum allegat Baronius

inconſiderate admodum. Nuſquam enim id dicit Epiphanius, videamus verba Patris: Τινὲς μὲν γὰρ αὐτῶν ὅτε ἤσκουν, ὥριζον δεκαετίαν, ἢ ὀκταετίαν, ἢ τετραετίαν, ὁμοίως παρθενίας ἢ ἐγκρατείας συνεχῶς εὐχόμενοι πυκνότερον ἀγῶνα τοῦτον ἐνίσταντο, &c. Hæc verba Cornarius ſic vertit & Baronius ex ejus interpretatione ſic citat: *Apparatu ad annales num.* 9 *Quidam enim ipſorum cum ſe exercebant, præſcribebant decennium, aut octennium, aut quadriennium virginitatis ſive (Baronius ET) continentia & frequentius orantes crebrius certamen hoc aggrediebantur, &c.* Quæ interpretatio peſſima eſt & rectè à Vedelio ſic emendatur: *Quidam enim ipſorum, quando ſe exercebant, præſcribebant (exercitio ſcilicet) decennium aut octennium aut quadriennium: tam tempore virginitatis, quam abſtinentia perpetuò orantes crebrius certamen hoc inibant, &c.* Vt hic τὸ παρθενίας & ἐγκρατείας tempus notet conditionis ſeu ſtatus virginitatis aut abſtinentiæ, more Græcanico loquendi iis noto, qui vel guſtarunt linguam Græcam. Igitur in iſta interpretatione quam Baronius ſequitur multiplex vitium eſt. *Primo*, quod ea, quæ tempus ipſius ἀσκήσεως concernunt, ad tempus alterius rei retulit, non animadverſo, diverſa tempore impendiſſe ἀσκήσει Phariſæos; dum alii plures, alii pauciores annos, alii etiam totam vitam ei dederent. *Secundo*, quod τὸ παρθενίας ἢ ἐγκρατείας conjunxit cum præcedentibus. *Tertio* quod, τὸ ἢ per τὸ. Et, reddit Baronius, quaſi Epiphanius de uno eodemque vitæ genere ſcilicet de virginitate loqueretur, cum tamen Epiphanius de duobus loquatur. ſcil. primo de virginitate ſecundo de abſtinentia, qua etiam conjugati Phariſæi defungebantur. Hinc Epiphanius non dicit παρθενίας καὶ ἐγκρατείας, ſed παρθ. ἢ ἐγκρ. plane ut *bar.*15. contraſcribas: ἐν ᾧ χρόνῳ ἐνεκρατεύετο ἢ παρθενίαν ἤσκει; h. e. *quo tempore continebat ſeſe, aut virginitatem colebat.* Vt hoc non obſcurum argumentum ſit quod tantum abeſt, ut Baronium & Recinetenſem Papiſtam juvet, ut potius manifeſte contra ipſos doceat rigidiores Phariſæos etiam in conjugio vixiſſe, quia interdum ab uſu ejus abſtinebant.

§. 17. *Falſum*, dum ex *Gal.*1.*v.*14. probare vult, Paulum fuiſſe ex rigidioribus Phariſæis: cum Paulus ibi non loquatur de Phariſaiſmo, ſed de Iudaiſmo ſimpliciter, dicens: *Et profeciſſe in judaiſmo ſupra multos coævos meos in gente mea ſumme affectans traditiones à Patribus meis profectas.* Vbi non dicit ſe inter rigidiores ex Phariſæis: ſed inter rigidiores ex Iudæis fuiſſe hoc eſt, fuiſſe Phariſæum, *Act.* 23. *v.* 6.

§. 18. Subſcribimus itaque verbis B. Augustini de bono conjugii c.11. ſcribentis: Decus ergo conjugale eſt caſtitas procreandi & reddendi carnalis debiti fides: hoc eſt: opus nuptiarum; hoc ab omni crimine defendit Apoſtolus dicendo: Et ſi acceperis uxorem non peccaſti, & ſi virgo nupſerit, non peccat & quod vult faciat, non peccat, ſi nubat; Quod ergo ait: Quæ innupta eſt cogitat ea, quæ ſunt Domini, ut ſit ſancta & corpore & ſpiritu, non ſic accipiendum eſt, ut putemus non eſſe ſanctam corpore Chriſtianam conjugem caſtam. Omnibus quippe fidelibus dictum eſt: Neſcitis quoniam corpora veſtra templum in vobis eſt Spiritus ſancti, quem habetis à DEO Sancta ſunt etiam conjugatorum, fidem ſibi & Domino ſervantium.

FINIS.

BIBLIOTECA …